Collection de la Bibliothèque des Exercices
de saint Ignace

ETUDES ET DOCUMENTS
paraissant tous les deux mois

N° 26
Mars 1910

SACRA TEMPE

SEU

de sacro Exercitiorum secessu

EXEMPLA COLLECTA

a Petro MANRIQUE

HISPANO



ENGHIEN (BELGIQUE)
BIBLIOTHÈQUE DES EXERCICES

PARIS
P. LETHIELLEUX, EDITEUR
10, rue Cassette, 10.

REIMS
ACTION POPULAIRE
5, rue des Trois-Raisinets.

CATALOGUE DE LA CBE.

PREMIÈRE SÉRIE [1906]

1. **S. S. Pie X et les Œuvres de retraites.** P. DEBUCHY. 20 pp. *Epuisé.*
2. **La Maison de retraites de Vannes au XVII^e siècle.** H. CHAURAND. 52 pp. . . . . 1 »
3. **De la formation d'une élite pour les Œuvres et pour les Paroisses dans le cénacle de la Retraite.** H. WATRIGANT. 50 pp. . . . . 1 »
4. **Les confréries du T. S. Sacrement et les retraites fermées d'hommes en Belgique.** R. P. DIEUDONNÉ, O. C. 44 pp. . 0.80
5. **De la direction des retraites collectives** (à Bologne, fin du XVII^e siècle). C. ETTORI, S. J., 111 pp. . . . . *Epuisé.*
6. **Introduction à l'étude des Exercices spirituels de saint Ignace.** P. DEBUCHY. 72 pp. . 1.40

DEUXIÈME SÉRIE [1907]

7. **Les règles du pur Catholicisme selon saint Ignace de Loyola.** M. MESCHLER, S. J. 38 pp. 0.75
8. **Peut-on employer les projections lumineuses dans les retraites?** G. LE BAIL. 38 pp. 0.75
9. **La Méditation fondamentale avant saint Ignace.** (Essai historique et critique.) H. WATRIGANT. 148 pp. . . . 2.50
10. **Saint Alphonse de Liguori et les retraites fermées.** R. P. WALTER, C. SS. R. 51 pp. 1 »
11. **La Retraite de Vennes.** V. HUBY (1678). 50 pp. . . . . 1 »
12. **Bibliographie des récentes publications sur les Exercices spirituels et les retraites.** H. WATRIGANT. 43 pp. . 0.80

TROISIÈME SÉRIE [1908]

13-14. **La Vén. Catherine de Francheville, initiatrice des Retraites de femmes,** d'après le P. Pierre Champion, S. J. P. DEBUCHY. 152 pp. 2.50
15. **Breve directorium ad danda utiliter Exercitia spiritualia,** d'après un manuscrit ancien inédit. 24 pp. 0.50
16. **Retraites de sourds-muets.** H. JEANVOINE. 30 pp. 0.60
17. **Ponterotto, maison de retraites pour les hommes à Rome.** MGR R. SCHÜLLER. 55 pp. 1 »
18. **Les corrections manuscrites des Exercices de saint Ignace.** A. BOONE, S. J. 30 pp. 0.60

QUATRIÈME SÉRIE [1909]

19. **Les Exercices spirituels et la Civilisation moderne.** L. TAPARELLI D'AZEGLIO, S. J. 51 pp. 1 »
20. **Mgr d'Hulst et les Exercices de saint Ignace.** M.-F. GIBERT. 42 pp. 0.80
21. **Une zélatrice des retraites, Maria-Antonia de San José de la Paz.** J.-B. COUDERC. 83 pp. 1.60
22. **Directoire pour servir à l'organisation des Retraites de départ.** L. FARSY. 75 pp. . 1.40
23. **De examine conscientiæ juxta Ecclesiæ PP., S. Thomam et FF. Vitæ communis.** H. WATRIGANT, 56 pp. . . . . 1 »
24. **Bibliographie des récentes publications sur les Exercices spirituels et les retraites.** H. WATRIGANT. 48 pp. . 0.80

Collection de la Bibliothèque des Exercices de St Ignace

N° 26. Petrus MANRIQUE, Hispanus.

SACRA TEMPE

SEU

DE SACRO EXERCITIORUM SECESSU

EXEMPLA COLLECTA

(NOVA EDITIO)

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California

Præfatio moderni editoris ad lectorem.

Opusculum hoc, *Sacra Tempe* (1), quod apud Bibliographos nostros sub nomine P. Wolfgangi Schoenslederi inscribitur, non ei ut auctori proprio, sed solum ut translatori tribuendum est. Vertit enim ex italica in latinam linguam librum qui prius hispanice editus erat Mediolani sub titulo sequenti :

Aparejos para administrar el sacramento de la Penitencia con mas facilitad y fruto : y recevir los

(1) Exemplar hujus opusculi invenitur in Bibliotheca Universitatis Monacencis. Asc. 2117.

admirabiles efectos, que suele obrar la Santa Eucharistia en los que llegan à ella bien dispuestos.

Recogidos por el Licenciado Don Pedro Manrique.

En Milan, en Real y Ducal Palacio, Por Marco Tulio Malatesta, 1604 (sic pro *1614*).

Integrum quidem opus Licentiati P. Manrique, innuit P. Sotwel in sua *Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu*, Pater Schoenslederus verterat; sed quatuor tantum primæ partes editæ sunt in quibus exempla quæ excitent ad sacrorum exercitiorum usum salutarem collecta sunt.

Patris Wolfgangi Schoenslederi vitæ compendium habetur apud eumdem Sotwel, in *Bibliotheca scriptorum Societatis Jesu* (Romæ, 1676, p. 786), his paucis lineis contractum :

« Wolfgang Schoenslederus natione Germanus, patria Monacensis, admissus est in Societatem anno 1590, juvenis annos viginti natus, in ea spiritualis coadjutor formatus est. Vir ab Humaniore litteratura græca latinaque bene doctus, Musices etiam non mediocriter peritus, Rhetoricam annos undeviginti docuit, et in missionibus obeundis decennium exegit. Tenerrimo erga religiosam paupertatem affectu fuit, rigida et perpetua erga Instituti sanctitatem observantia, quam etiam in ultimo senio in temporibus surgendi, orandi, et consimilibus studiosissimè retinuit. Demum octogenario major mortalitatem exuit, Halæ, die 17 Decembris 1651. »

De auctore proprio, seu potius de scriptore hujus nostri libelli, lis est inter Bibliographos Societatis.

Quidam, et ipse Pater W. Schoenslederus, aiunt nomen Petri Manrique non esse fictitium, sed designare quemdam Licentiatum qui cognoverat Patrem Bathe Salmanticæ degentem. (Cf. infra prolusionem D. Frölich ad sodales.) Alii, ut

Sotwel, autumant auctorem libri fuisse Patrem Josephum Creswell qui « illum hispanice et anglice scripsit » (1).

Plurimi sentiunt sub nomine Petri Manrique legendum esse nomen ipsius Gulielmi Bathei. Hoc indicatur v. g. a P. Nadasi, qui in suo opere *Annus amoris Dei* (Viennæ Austriæ, 1678), p. 202, scribit : « Gulielmus Batheus noster in suo Hispanico libello quem Anno 1614 Mediolani sub nomine Petri Manrique impressit... etc. »

In opusculo aliquo Parisiis, anno 1616, edito, Licentiatus quidam Hibernus, nomine Mauritius Brehun, sequentibus verbis idem affirmat : « En estos nuestros tiempos tratò especialmente destos exercicios, el Padre Gulielmo Bath de dichosa memoria, de la compañia de Iesus, natural de Irlanda, varon verdaderamente esclarecido en virtud, y muy versado en las cosas espirituales; dequien yo aprendi la pratica de los exercicios espirituales » (2).

Librum *Aparejos,* etc. P. G. Batheo etiam adscribit R. P. Edmundus Hogan; quod videre est in ejus opere : *Distinguished Irishmen of the sixteenth century*, First series, London, 1894, p. 392-394.

Quidquid demum sit de illa quæstione primitivi scriptoris seu editoris, opus hoc revera methodum a P. G. Batheo

---

(1) Equidem numquam vidi versionem hanc anglicam, nec versionem italicam Bononiæ editam.

(2) *Parayso del crhistiano* (sic) *donde se trata de los Exercicios espirituales praticados de los Varones mas perfectos de nuestros tiempos. Compvesto por el Licenciado Mauricio Brehvn natural de la Ciudad de Kilkenia en Hibernia. Dirigido a la Sacra y Christianissima Magestad de dona Ana Mavricia de Avstria Reyna de Francia, y de Navarra,* etc. En Paris, En casa de Denys L'Anglois, en la calle de Santiago, 1616. (Vide folio 7.) — Initio libelli, Mauricius Brehun hæc dicit de se ipso : « Aviendo estudiado la Theologia escolatica en la insigne universitad de Salamanca, y aprendido la mystica con particular cuydado de los Padres de la compañia de Jesus mis naturales, que allà residen. »

in dandis Exercitiis Salmanticæ adhibitam tradit (1), et sine dubio, nullo obstrepente, ipsi ut primario auctori rerum narratarum, si non ipsius narrationis, adscribendum est.

Ut vero apertius cognoscatur P. Gulielmus Batheus ab illis qui lecturi sint opus ejus, nonnullius utilitatis visum est ex libro P. Tanner : *Societas Jesu Apostolorum imitatrix* (Pragæ, 1694), depromere articulum biographicum ardentissimi illius Exercitiorum apostoli.

HENRICUS WATRIGANT, S. J.

P. Guilielmus BATHEUS.

Natus est P. Guilielmus in Hybernia Dublini, anno 1566, parentibus illustrissimis, et multarum ditionum in Provincia Lagenia dominis; a quibus in omni virtute et pietate educatus, eamdem cum fide catholica constanter retinuit, cum demortuo patri in jura omnia, tanquam major natu, successit. Cum vero per id tempus Hyberniæ Pro-Rex ad certa negotia componenda virum perquireret idoneum, Legati titulo ad Elisabetham Angliæ Reginam mittendum, Guilielmum post longam deliberationem elegit, in juvenili ætate cana prudentia senibus æqualem : quod munus magna Reginæ gratia gessit, eo etiam nomine ipsi acceptissimus, quod omne genus musices instrumentorum scite et eleganter

(1) S. Franciscus Salesius quædam audiverat de zelo P. Bathei in Exercitiis Salmanticæ datis; nam, die 10 Decembris anni 1609, scribit ad P. A. Possevinum : « Le P. Joseph Alamanni, recteur du collège de Turin, m'a envoyé le récit du bien qui s'est fait à Salamanque au moyen des Exercices, et cela parce que vous l'avez chargé de me faire cette communication. »

tractare nosset. Nihil tamen favores hi et blanditiæ Reginæ, deliciæve florentis Aulæ mentem Bathei de constantia in Religione, aut gradu virtutis moverunt, quin adeo robustior in utraque, et vanitatum mundi pertæsus, jam tunc decrevit totum se obsequio Dei addicere, et animo disciplinis omnibus exculto vitam cœlibem in statu ecclesiastico amplecti. Reducem in Hyberniam, primariæ familiæ affinem sibi, ditissimorum connubiorum delatione, fieri deposcebant, quod non solum potentem opibus et ditionibus, sed gratia etiam singulari apud Reginam et Vice-Regem florere viderent : sed ille propositi tenax, repente magna omnium admiratione, jura primogeniti in fratrem suum juniorem transtulit, et rerum omnium abdicato dominio Oxonium ad Philosophiam transiit, non minus literis quam pietati, et studio pœnitentiæ se totum sacraturus. Vitam igitur exorsus omnino sanctam et omnimodis asperitatibus arduam; tempus omne studiis vacuum dabat orationi; dignus qui validis impulsibus a Deo vocaretur ad statum religiosum; quem amplecti jam certus, perplexe duntaxat hærebat et anxius, quem magis deligeret: solitudinis siquidem amore trahebatur inde ad Carthusiam: rigoris inde et pœnarum ambitu ad Cappuccinos : desiderio autem et zelo juvandi proximos ad Societatem Jesu. Quibus curis et perplexitatibus aliquando multum fatigatus, obrepente fesso capiti somno, audiit diserte sibi inclamari ex Joann. cap. 10, verba illa : *ingredietur et egredietur, et pascua inveniet :* quorum vim et sententiam assequi non valens, cum ad orationem refugisset, sensit sibi interne dici, per ingressum et egressum intelligi vitam activam Societatis in proximorum salute operanda; in qua tamen non desunt pascua contemplativorum, per assiduum orationis et præsentiæ divinæ mediis in laboribus studium. Lætus itaque ex cognita Dei voluntate in Belgium trajecit, ac Societatem illico expetiit, receptusque in tyrocinium Tornaci anno 1596, ætatis 31,

ea primis statim mensibus adultæ virtutis et magisterii spiritus dedit specimina; ut etiamnum tyro, Instructori Novitiorum datus sit ad reliquos virtute imbuendos socius.

Biennio exacto ad Collegium Anglorum S. Omari translatus est, educandis magno numero ex ea gente juvenibus, in spem unice propagandæ in patria Fidei Catholicæ, præfectus : quibus solida virtute et scientia, quæ par esset securibus et patibulis Angliæ, imbuendis, dum non verbis magis quam exemplis insudat; nimio rigore et assiduitate valetudinem haud parum afflixit : mandato proinde Præpositi Generalis in Italiam evocatus, et Theologiæ arcana Paduæ prosequi jussus est. Cæpit hic, Sacerdotio initiatus, zelo animarum incredibili ardere, qui tota deinceps vita nunquam refrixit, ut neque de ulla alia re loqui posse videretur, neque quidpiam objici posset tam arduum et difficile, quod non perrumperret vel unius animæ juvandæ causa. Noctu diuque paratus erat quocunque evocaretur, ipseque sollicitus perquirebat in plateis rudes, quos fidei et virtutum rudimentis informaret, pauperes et ægros quos sublevaret; assiduus in visitandis carceribus, nosodochiis, et vestigandis locis, in quibus auxilii seu spiritualis seu corporalis indigos latere suspicabatur. Atque hæc fuere veluti præludia graviorum, quæ ipsum manebant, laborum, et semina ingentium fructuum, quibus Ecclesiam ditavit.

Cum enim per id tempus Pontifex destinasset Nuncium Apostolicum in Hyberniam, ad confirmandos incolas gravi bello ab Anglia hæretica pressos ob Fidem Catholicam, P. Ludovicum Mansonium e Societate, virum excelsæ virtutis, doctrinæ et sanctitatis, comitem illi Præpositus Generalis adjunxit P. Bathæum. Hunc ergo secutus in Hispaniam, unde certa legationi petenda erat a Rege instructio, quia repente pacis fœdera inter Hispanos et Anglos sancita sunt : legationis negotio omni discusso, constanter deinceps hæsit in Hispania. Et vero Salmanticæ theatrum illi Deus

paravit gloriosum, ad triumphandas inferni potestates, et plurimas ex ejus faucibus animas eripiendas, inque libertatem filiorum asserendas. Ut enim nihil dicam de conatibus, quos eosdem atque Paduæ ad salutem proximorum magno successu adhibuit, contulit illi Deus singulare donum et gratiam ad tradenda ingenti fructu exercitia, ita singularem et insuetam, ut nemo hæc illo directore obiret, quin desideratam animi quietem referret : hinc nunquam domus nostra vacabat hospitibus ex omni hominum genere et statu exerceri ab illo cupientibus. Maxima inde secuta est morum in nobilitate et civibus mutatio, et in juventute academica, quæ in celeberrima illa Universitate veluti flos colligitur ex tota Hispania, tantus fervor, ut monasteria omnia tyronibus implerentur; affluerentque in dies illustrissimi adolescentes, qui in sacra illa ascesi omni efficacia negotium salutis tractare expeterent. Porro emolumenti ab inde provenientis magnitudinem vel inde collige, quod præter consuetam morum in omnibus emendationem, solæ in hominem alium, cum insolito eventu, et admirandis circumstantiis mutationes, fuere supra trecentas.

Propriam eodem simul tempore curam Batheus assumpsit pauperum, catechesi et eleemosynis undique corrogatis juvandorum : nec minore providentia Sodalitatem Nobilium excitavit, hodieque Salmanticæ primævo suo fervore florentissimam; ac denique Seminarium nationis suæ juvenibus in ea Universitate fundavit, de quo sub cura Societatis annis sequentibus prodiere in culturam vineæ Hybernicæ, a vulpibus Anglicanæ hæresis adeo vastatæ, plures 300 ferventissimi Sacerdotes; et multi diversas Religiones complexi evasere eximii Theologi, et primarum cathedrarum in celeberrimis Europæ Academiis Professores: nec pauci creati Episcopi, Archi-Episcopi, Prælati Ecclesiarum, tam intra quam extra Hyberniam : quidam carceres et vincula pro Fide, ipsamque mortem perpessi, et miraculis ante ac post

mortem clari. Horum non exiguam partem evocavit et collegit Pater Batheus, et in spiritu promovit : profectus interim sui minime incurius, quem continua quadam cum Deo tractatione, et terna per anni decursum in ascesi Ignatiana decemdiali spiritus sui instauratione urgebat; menstruo item per diem integrum (quem, cibi penitus abstinens, traducendo, diem suæ reformationis vocabat) actionum suarum omnium velut ad divinum tribunal examine et castigatione.

Castimoniam illibatam summa sensuum custodia conservavit, et muro paupertatis evangelicæ ita obsepsit, ut novis indui vestibus nunquam sustinuerit, vetustis et male sartis contentus. Peculii omnis vel manibus attrectandi, nisi summa urgeret necessitas, parcissimus fuit; hinc nullum ejus valorem, et nummi unius ab altero diversum pretium dignoscebat; cogebaturque, si quid in juvenum aut pauperum alimoniam pecuniæ offerretur, valorem illius apud domus Ministrum indagare. Somno super nuda tabula brevissimum dabat tempus, perinde ac per diem vestitus ; tantoque amplius indulgebat quotidianis flagellationibus, et asperrimo cilicio. Quibus rebus celebre ferebatur tota Hispania Bathei nomen, et gratia præcipue tam singularis spiritualibus commentationibus animos exercendi : qua ipsa ex causa evocatus Madritum anno 1614, ut ad easdem præcipuos Aulæ Ministros manuduceret, repentina ægritudine in ipso apparatu oppressus, septiduo extinctus est Madriti, 17 Junii, anno ætatis 48, cujus æternam salutem paulo post magno cuidam servo suo Deus manifestare voluit.

SACRA TEMPE

SEU

DE SACRO EXERCITIORUM SECESSU

Exempla collecta

a D. Petro MANRIQUE

HISPANO

Primum Hispanicè, tum Italicè edita

nuper Latinè versa

ET PRO XENIO

SODALIBUS ACADEMICIS MAIORIBUS

OBLATA

INGOLSTADII

Typis Gregorii Haenlin, m.dc.xxii

Admodum Reverendis illustribus generosis nobilibus magnificis clarissimis, ornatissimis Dominis Maioris Congregationis Academicæ B. Virginis Annuntiatæ Sodalibus, Salutem in Christo,

Cum et præfectura, quam semestri hoc vestro iussu administravi, et tandem pro vitæ meæ rationibus Ingolstadio abitum pararem, Sodales optimi, cœpi circumspicere, ecquod vobis mei Mnemosynon possem relinquere; et commodùm hic libellus nunc primum latinitate donatus sese obtulit, qui ipso argumento in sinum vestrum convolare velle mihi visus est : tùm quia magna commoda præ se ferebat, nihil eo melius sodalibus à præfecto discessuro relinqui posse arbitrabar. Argumentum est secessus quidam à vulgo, à curis, à nobisipsis ad nos ipsos. Dicam remoto velo apertius. Negotia ac literarum, quæ quotidie tractamus, studia sensim mentem sic nostram occupant, ut tota in illis immersa, eorum agitatione ac memoria tantum distenta, suimet obliviscatur perfectionisque propriæ et spiritualium ornamentorum negligens, pulvere seu gymnastico seu politico obsordescat. Quanta verò inde detrimenta existant Auctor ipse in præfatione et capite primo abundè indicat; quæ eo maiora sunt, quo minus à plerisque vel intelliguntur, vel æstimantur; sicut morbus periculosissimus est, qui latet. Unde sapientes omnes vacuum aliquod tempus dandum esse censuerunt, quo se animus ad se revocet, secum suas rationes accurate inspiciat, componat mores, vitia evellere, virtutes inserere studeat, et saluti profutura agat.

Seneca : *Opto*, inquit, *tibi facultatem tui.* Tacitus narrat Agrippinam insumpsisse componendo animo dies plures Brundusii. Unde et S. Gregorius : *Sancti viri* inquit, *qui exterioribus ministeriis deservire officii necessitate coguntur, studiose semper ad cordis secreta refugiunt; ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, et legem quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum temporalium in contemplationis suæ vertice supernæ voluntatis sententiam perscrutantur.* Multa de utilitate secessus a strepitu profanæ vitæ S. Bernardus libro primo de consideratione ad Eugenium papam disserit, quæ nolo exscribere. Solum illud magni patris dictum accipite atque in animos vestros altè dimittite : *Tam pio ocio*, inquit, *tamquam utili nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?* Vere perditur quod totum terræ negotiis impenditur. Nolo in hoc argumento prolixus esse, sodalis parthenius vester libro secundo capite secundo § decimo tam multa super ea re disputat; ut frustra operam perdam, si plura coner adiicere. Hic ipse libellus, quem offero, compluria exempla narrat eorum, qui diem unum, aut paucos in pias latebras abditi insignem morum mutationem eamque facillimam instituerunt. Scio fore nonnullos, qui tempus locumque rei gestæ desideraturi sint, ut inde narrationi pondus accedat suum. Sed sinant illa clam esse; satis est nosse nullum vitii genus tam altè insedisse cuiquam mortalium, quin seria cura eradicari potuerit, quod tot historiæ testabuntur, cætera liceat nescire. Auctor extra dubium verax est. Libellus primum in Hispania scriptus, tum Mediolani editus; tum Italice versus Bononiæ evulgatus, nunc in Germania merito lucem aspicit; quia eius libelli scribendi suasor primus et hortator Germanus fuit. Nam R. P. Richardus Haller

Societatis Jesu olim Congregationis nostræ præses et collegii Ingolstadiensis rector magna et virtutis et sapientiæ opinione, rebusque gestis clarissimus, cum ex illo secessu videret in Hispanicam iuventutem ac nobilitatem tot emolumenta redundare, industria P. Guilielmi Bathei Hiberni viri sanctitatis fama apud Hispanos celebris, auctor fuit, ut doctor Petrus Manrique eum laborem sibi sumeret, quæque vidisset aut cognovisset insigniora mutatæ vitæ exempla totamque adeo rationem, qua P. Batheus usus fuisset, literis consignaret atque evulgaret. Quare præter alia hoc quoque nomine gratissimum vobis munusculum hoc fore confido, quod a Germano ex Hispania in vestrum commodum traductum sit. Accipite igitur, optimi Domini Sodales, mnemosynon, quod discedens offero : si non meo nomine gratum, certe quia vobis utilissimum fore iudico. Atque quod in rebus odoratis fieri amat, ut fragrantia earum tum maxime percipiatur cum manibus tritæ sunt; ita si libelli huius doctrinam sapide sapere vultis, usu subinde repetito terite. Tunc et me monendo et vos parendo opere precium fecisse fatebimini. Valete, mei semper memores magnamque matrem, uti cœpistis, sedulo colere pergite.

Ingolstadii, XVIII Cal. Ianuar : CIↃ. IↃ. XXI.

DD. VV. obsequiis addictissimus.

DANIEL FRÖLICH V. I. D.

Serenissimi Electoris Coloniensis Consiliarius Berchtesgadensis, pro tempore præfectus.

Præfatio auctoris ad lectorem.

Mirum esse, hominem tam effreni impetu in peccatum ferri; atque unde id proveniat.

Multa sunt in rebus mortalium, quæ admireris, sive pulchritudinem, ordinem consensumque rerum hominis gratia conditarum, sive ipsummet hominem contempleris : neque minus si mentis oculo intuearis confusionem ordinisque perturbationem, cui idem implicatur homo, cum omnia rite atque ordine facere sit officium, sique negligatur, ratio sit Domino Deo severissima reddenda.

Quæ merito possint a peccando revocare hominem.

Atque ut alia missa faciamus admiranda, solumque ea commemoremus, quæ in vita humana perturbate decursa cernuntur, primum se offert mirabile, quod cum omnia creata tam fideliter et ad momentum homini serviant, ordinemque sibi a principio præscriptum pro facultate sua conservent, solus homo ab iis dissidet, cursumque naturalem divortio quasi detorquet : cumque deberet adiuvantibus illis Deo servire, id non solum insuper habet, sed etiam iisdem abutitur velut peccandi instrumentis.

I. Creaturæ omnes officio parent suo.

II. Præmii magnitudo, Legis facilitas.

Secundo admirandum, itidemque rationi reddendæ obnoxium est : cum præmium a Deo promissum sit infinitum, eiusque obtinendi ratio tam facilis, quippe soli voluntati liberæ subiecta et ope gratiæ, quæ numquam deest, subnixa : cum adhæc lex proposita, rationi adeoque naturæ humanæ rationis usu præditæ tam consentanea sit, nihilo-

minus tamen malle parere legibus inimicorum iniustis, difficilibus, rationique penitus adversantibus, atque cum illis inter ærumnas degere, servitutemque servire, quam in libertate vitam agitare, ac filiorum dignitate in domo seu familia Patris cœlestis ornari.

III. Adminicula recte vivendi.

Tertio haud minus est mirabile, cum Christus Dominus noster vias modosque ad genus humanum ex hac servitute asserendum tam suaves efficacesque Ecclesiæ reliquerit, non omnes eorum se compotes facere scire : et inter eos, qui rationibus illis adiuti libertatem sunt adepti, haud paucos deficere, eidemque se tyrannidi sponte subiicere.

IV. Peccati turpitudo; virtutis splendor.

Quarto res admiratione digna est, cum peccatum sit tantopere detestandum, unde cœlestes genii scelere obstricti migrarant in dæmones, vicissim virtus cum tam amabilis exsistat, ut etiam inimici pulchritudine eius amiciri certent, eaque salutem ac vitam proponat, et præmium æternæ beatitatis habeat destinatum, homines tam appetentes elegantiæ, commodorum, ornamentorum cunctis in rebus, tamque sitientes honoris, vitæ, sanitatis, diligere tamen peccatum, quod animam contaminat, enervat, vita spiritali gloriaque æterna exuit : et, quod admirationem augere debet, adeo sui securos esse, ut nulla cogitatione prævertant severissimam rationem post animæ excessum esse reddendam, quando portis Misericordiæ præclusis, solum æternæ iustitiæ tribunal patebit.

V. Fidei dictamen

Quinto mirum est videre christianorum vitam ab iis, quæ credunt ac profitentur, oppido discrepantem, cumque sciant esse se mortales et præmium pœnamque pro meritis æternum duratura, ad æter-

nitatem non præparari. Cum item sacras reliquias, divorumque imagines honore quem servis Dei deberi testantur, afficiant, ipsos imitationem procul habere, ex facili obtinendam? Prætereа cum haud nesciant Deum infinitæ Regem Maiestatis, Iudicem suum, ubique versari (cuius præsentiam agnoscunt quando cum eo inter preces colloquuntur, non dicta solum audiente, verum etiam penetralia pectorum arbitrante) minorem tamen eius rationem duci quam hominum inter sese, neque in præsentia divina abstineri ab iis, quæ in conspectu hominum facere puderet. Iam non loquimur de iis, qui non tam suæ sensu rationis, quam malorum spirituum suggestione moventur : quando nihil est quod illic admiremur, cum sine ordine, sine termino rationis ritam agitent, neque ut homines operentur. Hæc autem sine omni ratione vivendi ratio demonstrat, animum ad ea, quæ fiunt non applicari : cumque vicissim numquam antehac tanta fuerit scientiarum theoreticarum subtilitas, tanta in omni genere librorum doctissime scriptorum copia, tanta concionum Sacramentorumque frequentia, quanta hoc seculo visitur, evidens est causam tantæ in agendo confusionis, atque damnorum esse, quod nulla consideratio adhibetur, et verbum Dei, ut vates Aggæus (cap. I) cecinit, colligitur in sacculum pertusum, *quodque ad divina mysteria a male paratis instructisque acceditur.*

VI. Deus videt.

Cur passim et libere peccetur.

Quam rem cognoscere licet in Sacramento Pœnitentiæ, cum homines de iisdem crebro confessi peccatis, in eadem revolvuntur, ut videlicet habeant, quo denuo se accusent, sine sufficienti detestatione, sine vero efficacique emendandi proposito : similes vel deteriores bestiis, quæ, cum e cœnosa lacuna sunt

sublevatæ, ne fustibus quidem eodem rediguntur; ipsi vero quotidie vitio propriæ voluntatis in eadem volutantur. Idem in Sacramento Eucharistiæ videre est, in quo, cum toties ipse Christus, fons vivus caritatis et sanctitatis, recipiatur, nihilominus tamen vix quidquam accedentes profecisse, et referti miseriis adhuc cernuntur. Argumentum profecto est manifestum gravem in nobis culpam hærere, cum ad divinissimum illud mysterium haud pro dignitate præparati accedimus, neque quod agimus, mente comprehendimus. Quare cum Jeremia propheta concludere licebit, et quemadmodum ipse deflevit sua, sic nos tempora nostra lamentari debemus : Desolatione desolata est omnis terra quia nullus est qui recogitet corde. *Multum sane interest inter cogitationem studiumque ut scias ipse tantummodo, aliosve doceas, et inter commentationem rerum naturæ, cum deliberata certaque exsequendi voluntate coniunctam. Enimvero longe aliud est eamdem veritatem sola intelligentiæ humanæ caligante luce intueri; aliud ea luce contemplari, quam Dominus noster impertit iis, qui certo tempore sese a mortalium consortio segregant, ut ea luce hic inter orationem perfruantur, quemadmodum infra dicetur, cum de differentia luminum disputabitur quam rem probe intellexerat regius vates David cum cecinisset :* Revela oculos meos : et considerabo mirabilia de lege tua. *(Ps. 118).*

Quid referat accurate meditari. Lux vera.

Quæ cum ita sint, ad eumdem finem considerationes quæ die secessus assignantur cum dolori peccatorum excitando tum dien vitæ rectius instituendæ, augendæque devotioni, non legi ante tempus debent

curiositatis ergo, verum meditandi duntaxat gratia, ut novitas languori medeatur, et intellectus nostri inconstantia stabiliatur, qui intellectus accedente habitu hebetatur, unde res habitu imbutæ neque moventur, neque attente concipiuntur. Qua in re medentium imitanda prudentia est, qui alimenta infirmis præbent non nisi tempore suo certaque quantitate, ut ea concoquere possint, et salubriora medicamenta non nisi necessitate postulante porrigunt, quando sic vicibus-frequentata naturam minus prævertunt. Quocirca ad tanta tamque gravia incommoda medicamentis opportunis avertenda præparationes istæ sunt collectæ, eo fine, ut cunctis prosint uti volentibus, quemadmodum profuere multis. Editæ porro fuerunt chartis singulariis, veluti medicinæ tæniis papyraceis vulgo recepta *conscribi solent. Legendæ sunt eæ non tam ut intelligas, quam ut usurpes, capias glutiasque per modum orationis et exercitationis suo tempore assumendæ, ad instar salutarium medicamentorum, quæ in aliis, aliisque plus aut minus proficiunt, quod e sequentibus cognoscetur exemplis. Quare sapientis arbitrio confessarii permittitur vel omnes vel partim suggerere, prout necessarium visum fuerit, eoque modo tradere, ut animo recipientis hærcant impressæ : quippe tum et non statim primo vestigio utilitas earum parebit et gustus, qui non nisi experiendo percipitur : id quod Prophetæ Ezechieli (cap. III) accidisse memoratur, qui melleam voluminis dulcedinem ab Angelo porrecti degustare non poterat prius, quam comedisset.*

Quare necesse fuit præparationes hasce in singulas dispertiri chartas, quibus uti liceat vel ante

vel post recollectionem, aut etiam eodem ipso tempore, quæ causa est quod uno volumine comprehendi nequiverint; quod ex usu ipso manifestum evadet. Barcinone VIII. Kal. Februarias, die S. Pauli Apostoli consecrato, cui labor iste dedicatus est anno M. DC. XIV.

CAPUT I.

Rationes movendis iis, qui multum negotiis et occupationibus externis impliciti sunt, ut aliquando expediantur (minimum ad unum diem, si non datur ultrà) et soli cum Deo agant super negotio præcipuo, quare scilicet in lucem sint prognati.

1. In instructione confessionis generalis obeundæ impressa Barcinone dictum non nihil est de necessitate secessus istius, qui maximo adiumento erit iis, quos peccata premunt, scrupuli vellicant, tristitia exanimat : simili ratione apparatum suppeditabit, quibus longæ periculosæque peregrinationes sunt capessendæ, aut de statu mutando deliberandum est, quive vitam agunt ærumnosam, et solatiis indigent. Sic affecti, utpote prudentes, humiles et abiecti, pacifici domitique et otiosi facile hasce rationes admittent præ iis quos infra commemorabimus.

2. Contra alii negotiis externis immersi, quibus parum prudentiæ ac ratiocinationis est, superbi sese circumspicientes sibique præfidentes, vani, quibus nulla virtutis cura, tepidi, quos difficultatis vel umbra deiicit effeminatque, et ii, quos vitia iam nexos ducunt, certos vitam perseverare flagitiosam, hi inquam perdifficile ad aliquod virtutis opus induci poterunt : et sic sequentes proxime rationes plus aut minus momenti pro eorum ingenio habebunt : eapropter prudentia suggeret cui, quo modo, et quando debeant ista proponi.

3. Iam qui considerandis hisce rebus eum in finem vacat, meretur divina luce illuminari. Namque animi potentiæ viresque otiosæ in solitudine facilius cælestes capiunt influxus, et uno verbo quo magis a rebus creatis te avellis, eo fis Creatori propinquior, clariusque Ipsum, Illas, Teque cognoscis, ac maxime illam ineffabilem percipies dulcedinem, quam Deus amicis puro eum pectore quærentibus reservat.

4. Præterea præparationes, quæ coacervantur hoc uno die, multæ sunt magnique momenti; ad quas si animus accedat compositus, velut instrumenta divinæ providentiæ ad effectum, qui quæritur, aptata, aliæ ab aliis concipiunt efficacitatem, et confertæ id operantur, quod singulæ conficere nequirent.

5. *Utilitates secessus.* Similiter fructus, qui percipiuntur, maiores cogitatione sunt, nimirum vera contritio peccatorum, confessio generalis, qualis sub extremum vitæ spiritum fieret, extraordinaria satisfactio, certa deliberatio rectiorem ad normam vivendi quæ norma statui videlicet conveniat explicata, studioque recepta, peculiare auxilium in hoc proposito perseverandi, magna iucunditas inde, quod solutum te peccatorumque laqueis expeditum cognoscis, donis vicissim gratiæ locupletatum, quodque qui mutationem eiusmodi vident, optimo confirmantur exemplo. Ad hæc multi virtutes adipiscuntur, gratiasque privatas, quibus ante carebant, cuiusmodi sunt timor Dei, alta submissio, prudentia, imperium affectionum, castitas, recta intentio, familiaritas Numinis, zelus animorum, aliæque virtutes exaggeratæ. Quibus rebus fundamenta iaciuntur vitia corrigendi, totiusque vitæ iacturas compensandi, ut reliquum vitæ ad summa bona recipienda comparetur, et bona mors excipiat, quæ est præmium rectæ præparationis.

6. Repentinæ castigationes, quas historiæ loquuntur, hodieque videmus, cum publicæ tum privatæ sceleribus expiandis immissæ permovent multos quotidie ut timore perculsi vel in solitudine vel religiosa familia saluti suæ consilium quærant. Quod vero isthæc exempla in nobis non idem possunt, non ideo fortasse fit, quia non par in nobis causa, et haud scio an maior exsistit, sed quod haud alte rem perpendimus.

7. Si viator prolixum iter per regionem peste infectam facturus intelligeret eius terræ dominum mero miserantis et amantis affectu prima in villa diversorium habere instructum excipiendisque illac prætereuntibus, et medicum adesse qui pretiosis medicinis peregrinos in contagia instruat, ipsum vero dominum lætum ædes celebrari suas tametsi non sine sumtu suorumque incommodo, ac vicissim si quem longe iam præterisse cognoverit, mœrere sollicitum de periculo quod viator adierit, quanto desiderio cuncti tectis illis succederent, quantasque domino gratias agerent? Consimili omnino adeoque maiore affectu secessum istiusmodi desiderare cuncti deberent. Hic enim secessus respondet illi hospitio, cuius exemplum fictum attulimus, eoque magis, quo periculum æternæ mortis consideratione dignius est, et minime frequenter offertur occasio, in qua sic omnia, quæ ad salutis securitatem spectant, coniuncta reperiuntur. Quæ commoda ut a Domini nostri gratia proficiscuntur, ita non in cassum tales occasiones, divinique afflatus in rem nostram conspirantes contingunt. Qui vero gratiam tam singularem negligit, ne temere speret denuo certoque præstitum iri.

8. Homines prudentes, quibus momenti alicuius lis est, operam dant uti ad aliquot dies ab hominum consortio separati secum assumant advocatos, quibus causam explicent suam, eosque omni strepitu arbitrisque

remotis consulant super litis quæstione : quod si tot dies obtinere non possunt, unum saltem eximium volunt. Iam quanto maius est operæ pretium præparare se ad litem vincendam, quam communis inimicus ad mortis extremam clepsydram intendet? Agetur enim summi res momenti, videlicet ut æternum sive Deo fruaris, sive pœnis condemnere sempiternis.

9. Ægroti itidem tractant cum medicis : qui officiis, laboribus, gravibus cum animi tum corporis occupationibus distinentur, unum in hebdomade diem quietis circumspiciunt. Qui idem est secessionis dies ad animæ utilitatem comparatus, multisque fructuosus, si cum debita apparatione decurritur.

10. Omnes rationes, quæ a sanctis, ut ad fugam peccatorum incitemur, salutisque nostræ rationem ducamus, afferuntur, vehementer nobis persuadent secessionem istam ad tempus productius contractiusve pro cuiusque commoditate amplecti propter magnas utilitates inde percipiendas. Rationes autem illæ duorum sunt generum : hæ privatæ ad desiderium unius alicuius virtutis accendendum; illæ communes ad omnes virtutes amplectendas.

11. Ex hisce collegerat quatuordecim S. Vincentius Ferrerius, quas vocat *stimulos commodi nostri*. Sunt autem hæ, *divina maiestas, passio Christi, innocentia christiana, beneficia accepta, beatitudo quam speramus, nobilitas virtutis, exempla Sanctorum, malitia fœditasque peccatorum, multitudo periculorum, iudicium extremum, memoria mortis, ratio severe exigenda, peccata occulta, denique pœnæ damnatorum sempiternæ.*

12. Picus Mirandulæ comes duodecim congessit, *brevem peccati voluptatem, pœnam æternam, iacturam immensam, vitam instar somnii, mortem propinquam, hominis dignitatem, excellentiam virtutis, pacem cons-*

cientiæ, divinam liberalitatem, passionem Christi, tot Sanctorum consensionem in dandis exemplis, et pro brevi ærumna præmium sempiternum.

13. B. Ignatius Societatis Jesu fundator alias adfert rationes perquam efficaces, quemadmodum in ipso secessu cognoscetur.

14. Variæ sunt in vita humana sui subducendi occasiones vel ex natura rerum, vel ex hominum consilio moribusque profectæ; quæ omnes in proposito nostro secundum spiritus rationem videntur evenire; dati in carceres propter flagitia sua, principes studio voluptatis, infirmi quietis gratia, stulti dementesque vitii sui causa delitescunt : prorsus eadem ratione in spiritali secessu inclusum vinctumque corpus est ob sua peccata, animus solatii gratia, conscientia quietis ergo, stolida imaginandi vis ut sedetur rationique subdatur. Sic multi mortales tristitia, ærumnis, scrupulis, diffidentiæ tentatione ac desperatione, aliisque animi et corporis afflictionibus oppressi, hac medendi ratione adeo se sensere liberatos (quemadmodum videre est in iis quæ super hac re collecta subiecimus) tantumque divinorum solatiorum experimentis illecti sunt, ut quot annis imo et singulis mensium diebus cum primum se negotiis licuit expedire, ad hæc bona percipienda recurrant.

15. Secessionis huius diariæ exemplum habemus in Evangelio Joan. 1, ubi duo S. Joannis Baptistæ discipuli mansere cum Christo ad unum duntaxat diem : quæ fuit illis ansa principiumque cuncti boni. Iam qui non possunt, vel nolunt ad plures dies procul suis esse negotiis : aut qui hos in illo secessu instruit ducitque, operam diutius dare nequit, satius est unum diem, quam nullum capessere. Certe vel ex uno die cernere licuit multas, raras, mirabilesque conversiones,

cum videlicet Spiritus Sanctus mutua ope sublevavit eos, qui ad hanc quietem concessere cum vero proficiendi desiderio, et necessario apparatu, quemadmodum in aliis capititibus cognoscere licebit. Neque ulli mirum videri debet id, de quo dicimus, tam angusto temporis spatio confici posse, quando haud rarenter evenit, ut ex unica concione, aut conversatione multo breviori fuerit idem effectum, cum tamen in suggestu aliisque publicis actionibus multorum causa institutis non possit accommodari doctrina, prout cuique opportunum est, proportione commensa. Hic autem una cum doctrina suggeruntur rationes necessariæ ad obtinendum, qui traditur, effectum, et exsecutio procuratur. Præter hæc accedit sacramentum pœnitentiæ, cuius, incredibile est, quantæ sint vires si quidem pro virili nostra operam cum præceptis coniungimus, et adlaboramus afflatui divini Spiritus, qui in hoc negotio primarius est doctor ac magister, cui omnis gloria. Amen.

CAPUT II.

Exempla conversionum notabilium nostro tempore factarum : aliarum item gratiarum ac donorum ex diario illo secessu, virtute Sacramenti pœnitentiæ rite suspecti partorum.

Multi nullum ex vita Sanctorum fructum percipiunt, tametsi legant, quando potius fallendi temporis, curiositatis, admirationis, eorumque res gestas laudandi gratia legunt, quam imitandi studio, dissimulatis salutaribus afflatibus, quibus quotidie percelluntur, aiuntque Sanctos illos fuisse, se non esse. Verum ista hic locum non habent, cum scribamus conversiones peccatorum propositis remediis tam facilibus, ut nulli detur tergiversandi locus quasi non esset in potestate commodis hisce frui, si maiora his non suppeterent. Quare posito, neminem Christianum esse tam oblitum salutis suæ, quin via e peccatis exeundi vitæque emendandæ ratione monstrata, velit obtemperare, præter rationes, quæ in priori capite excitando huic desiderio afferuntur, hic aliquot exempla proponentur eorum, qui variis implicati vitiis, intra paucas horas sepositis tantisper negotiis in secessu quo se ad Sacramentum pœnitentiæ præparabant, multis novisque gratiis a Domino nostro fuere donati. Namque Sacramentum istud vim habet gratiæ, quam perdideris, recuperandæ, pectorisque purgandi : proinde conceditur hic familiare cum Deo commercium, lumen eidem Deo cognoscendo,

amor boni cogniti, solatium, pax interior, quam neque verbis, neque cogitatione consequi possit, nisi expertus. Exempla hæc pauca de multis excepta sunt, quæ vel evenere, vel in dies eveniunt, unde videas frequentiam ardoremque secessus. Horum alia virtutes solidas in ista solitudine acquisitas præ se ferunt, qui fructus maximus æstimari debet : alia gratias ad miraculum impertitas narrant, hominum generi ignobiliori suscitando idonea quemadmodum Christus Dominus noster præfatus est hisce verbis, *Nisi signa* et *prodigia videritis*, *non creditis* (JOAN. V) : et alia de aliis, qui dies solitarii complures operæ pretium retulere fructum : ut cuique exemplis sibi convenientibus liceat uti.

EXEMPLUM PRIMUM.

De Timore Dei.

Hæc auxilii ab uno secessus die præstandi ratio ortum habuit in civitate quadam inter milites ad prælium expediendos; cui rationi occasionem dederat sermo, in quo disserebatur de privata cuiusque necessitate et officio, quo milites teneantur obstricti, aliique mortales casuum varietati et improvisis eventis obiecti, ut præparati semper sint ad mortem excipiendam, et maxime securum esse frequenter ac bene uti sacramento pœnitentiæ, initio a confessione generali rite obeunda facto, unde superiorum confessionum, si qua incidissent, vitia supplerentur, firmumque propositum conciperetur in gratia Domini nostri in posterum perseverandi. Hisce perceptis animum induxere multi militum sese ad confessionem unius diei secessu comparare meditandam : qua priorum pietate, ac morum

emendatione animadversa, etiam ceteri ad eadem æmulanda sunt incitati. Hos inter eques erat insignibus naturæ dotibus ornatus, ceterum ab eius temporis extraordinaria pietate alienissimus : unde super eiusmodi secessione fabulabatur veluti de re nugatoria : is importunis amicorum, quibus iam fructus erat experimento cognitus, precibus fatigatus, periculum tamen facere sustinuit, magis curiositatis, quam pietatis gratia. Enimvero sensit repente sese timore Dei configi adeo, ut serio vitam melioris exempli capesseret, et in illa solitudine, ea factitare proponeret, quæ moriturus optasset. Commutatio vitæ, quam susceperat frequentandis sacramentis, aliisque virtutum actionibus, veram conversionem consequi solitis, stimulo fuit multis gravibus viris ad eamdem seiunctionem amplectendam : et dicere solitabat se existimare hominem quantumvis intractabilem, si, quod ipse fecit, materiam et adiuncta solitudinis illius consideraret, non posse, sine vi allata, gratiæ Spiritus Sancti reluctari. Erat hic idem deinceps speculum modestiæ ac pietatis, et tametsi eandem sæpius exercitationem solitudinis cum egregio emolumento solatioque resumeret, primi tamen diei efficacitas fuerat tam singularis, præcipue in timore Dei tunc incusso, ut maior esse ipsi non posse videretur, quapropter assidua eorum recordatio in omnibus eius actionibus, quotiescunque se dabat occasio, elucescebat.

EXEMPLUM SECUNDUM.

Humilitatis.

Adolescens asperam vivendi viam inter religiosos consectatus, cum vires ad sustinendum haud suppetere animadverteret ad liberiorem seculi vitam se recepit.

Hinc noti ac familiares, ubi eum convenissent, assiduo convitio verberabant, verbis Evangelii usurpatis, *Hic homo cœpit ædificare, et non potuit consummare.* (Luc., XIV). Igitur ancipiti distractus consilio est in vita ne profana cum animæ suæ dispendio remaneret, an, ut cordatum decet ad idem, quod reliquerat, vitæ institutum rediret, aut certe minus severum amplecteretur, vexatione videlicet notorum defungi cupiens. Quare explorandæ divinæ voluntatis gratia abdidit sese in hunc secessum. Hic cum animo suo graviter habuit colluctari, ut, quod securitati conciliandæ necessarium est, neutro inclinaret : dictatis tamen instructus ad facinus tandem heroicum humilitatis sese obfirmavit. Namque animum inclinavit magis ad desiderandas iniurias, quas antehac pati tantopere fugitabat, intelligens earum patientiam magis e gloria Dei esse : atque sic obfirmatus elegit religionem subire aliam, animo viribusque parem, certus illam inconstantiæ animique abiecti notam expiando delere. Hoc instructu armatus egregium contemplationis donum est nactus, in eoque perseveravit ætatem, cum in dies altiores humilitatis radices ageret, animoque mansueto occasiones humiliandi sui, in ædibus propriis haud parce oblatas toleraret. Dum autem electæ religionis ingressum parabat, in morbum incidit, quo exstinctus est. Discipulus iste humilitatis moriturus domesticos advocaverat, utque se magis abiiceret, aliquot sua vitia coram omnibus commemoraverat, unde circumstantes effici possent meliores : singulatim vero professus erat, inter ea, quæ conscientiam ex illa defectione maxime vellicabant, fuisse vulgatum illud vitium obtrectandi viris in dignitate aliqua constitutis, cum ex rebus exterioribus, vulgique convicio arguerentur : proinde per viscera Iesu Christi obsecravit, uti omnes ab hoc vitio sibi caverent, ne

sub excessum animæ, stimulis, velut ipse, fodicarentur. Eodem loci temporisque tenebat idem, quod in secessu illo de statu vitæ decreverat : quam ob rem religionis quam elegerat, ascetas arcessebat, quorum amictus veste inter manus exspiravit maximis prædestinationis argumentis.

EXEMPLUM TERTIUM.

Prudentiæ.

Sacerdos generali confessioni locum ac tempus quærens profanis semper negotiis interturbatus de die in diem differendo cunctabatur, donec unum destinavit nulla occupatione procrastinandum. Commodum advenit dies, cum ei litteræ amicorum Sevilia redduntur, inde proficisci iubentes. Itaque confessario valedicit suo, causatus impedimentum, post reditum istæc obiturus. *An ignoras Domine*, subiicit confessarius, *te esse mortalem, atque inter viam mori posse?* Motus hisce sacerdos, ac tempore prolixius exercitium negante in hunc secessum se contulit, indeque magno cum fructu prodiens in viam se dedit : cum ecce in medio itinere correptus morbo, morique se sentiens, *Felix*, inquit, *hora illa qua secessi ad ineundas vitæ meæ rationes, ad mortem obeundam, ad testamentum ritu christiano condendum, alioqui acerbum futurum erat in pago procul a patria mori. Itaque quia me in illo secessu præparavi, animo morior æquissimo ubicunque fuerit visum Deo, vel in medii vastitate campi.* Sicque Sacramentis ad iter æternitatis instructus pie vitam terminavit.

QUARTUM EXEMPLUM.

De moderandis perturbationibus.

Unus quidam, iracundus extreme, versabatur in hoc secessus die, cumque pater spiritualis apud eum de hoc vitio ageret corrigendo, contra tendebat, *Pater,* inquiens, *cuique suum vitium, mihi meum : hoc sum ingenio, huc natura me impellit, quam non expello.* Pater spiritualis malo remedium nullum videns, quoad ista mentis illusio discuteretur, quæsivit ex eo, ecquid alterum in urbe sibi mentis impotentia similem sciret. *Vix inveniam,* inquiebat ille, *verum tamen in ædibus meis est qui tantumdem et me vehementius hoc vitio infestatur :* et nomen edidit. Tum Pater, *si,* inquit, *pro illo remedium inveniam, numquid manifestum erit emendari te posse?* Aiente illo, Pater abiit hominem quæsitum, quem ubi est nactus de mediastinis egentem, pactus est ei certum pecuniæ numerum si patienter devorare posset ternas iniurias, et cum dicto docuit eum examen particulare. Accepta conditione doctrinaque ille abiit cupiens offerri adversa ut citius potiri nummis posset. Diebus haud multis elapsis oblata est iræ occasio duobus illis iracundis : quorum alter indignatione commotus multis asperis verbis alterum incessivit : tum hic promissæ memor pecuniæ quievit insolente modestia. Ille iniurius novitate rei perculsus, ac ratus, quæ præmii erat cupido, virtutem esse patientiæ, mox veniam rogavit, reversusque ad patrem spiritualem ait demonstratum esse vitium suum corrigi posse, quando vidisset emendatum alterum magis iracundum se, quam ob rem admisit idem usum examinis particularis, brevique tempore victor morbi sui evasit insignis.

QUINTUM EXEMPLUM.

Charitatis.

Par amicorum iurgio committebatur, et alter alteri publice graviter insultabat. Eius, qui læsus erat, familiares defendi honorem licere arbitrantes, pertendebant esse vindicandam iniuriam et paria vel ulteriora facienda. Multi de proceribus sacri profanique intercedere conati sunt, ut citra sanguinem cædemque res componeretur. Verum omnis labor in irritum cadebat. Interea religiosus quispiam de hoc certamine certior factus convenit alterum inimicorum, et ad secessum invitavit faciendæ universæ exhomologesi, utque præparatione mortis periculum repentinæ præverteret, si forte fieret obvius inimico : quam ad rem ei domicilium commodavit. Idem cum altero fecit, utroque quid alterutrinque gereretur ignaro. Alteri, qui offenderat, materiam precandi dedit aliquot capita de Christo Domino patiente, atque ut consideraret scelus Iudæorum, a quibus is tam indignis modis habitus fuisset : offenso eadem suggessit mysteria, uti ex redemtore nostro, qui tanta pro ipso exhauserat, iniurias pati disceret. Inter hæc animorum durities emollita est : et qui injuriam accepit, condonare, quique fecit, petere veniam certus fuit. Hos ita comparatos sub eiusdem diei vesperam nec opinantes conduxit religiosus, qui pace firmata amicitiæ iura posthac coluere solatio sui, civitatis universæ comprobatione.

SEXTUM EXEMPLUM.

De Intentione pura.

Theologus sacerdotio initiari cupiens secesserat ad generalem confessionem faciendam, cum autem regulas

recte vivendi legeret, cognovit inde, plurimum ad vitam bene instituendam referre ut constituas quonam in statu mori velis, quando ad id velut ad scopum, vitæ cursus est collineandus. Itaque retulit ad patrem suum spiritualem sese, qua status electionem, dubium hærere, utrum duorum sibi magis conveniat, sacerdotium capessere religiosos inter an seculares. Cui Pater, *Si*, inquit, *divina voluntas cognosci neque ex obligatione neque ex instinctu divino potest, necessum est eam investigare momentis rationum, sed verissimo affectu sensuque ita ut electio respiciat quemadmodum Deo servias et salutem consequare, neque, quod in re manifesta dubium est, in alterutram partem confundas cum eo quod iam destinaveris : alioqui propositum esset falsum et fraudulentum. Itaque si sacerdos fieri statuisti, et studia theologiæ reliquumque vitæ tenorem eo derivare, non debes in hoc dubitandi momentum constituere : sed, ubi veritas reique claritas patet, videre utrum de duobus tibi magis conveniat, sacerdotem esse religiosum an secularem.* His auditis Theologus, *Si dubium*, inquit, *hac ratione proponitur, clarum est, ei, qui careat impedimento utilius fore sacerdotium inter sacros quam inter profanos ; quippe magna sunt in mundo pericula, et remediorum, quibus instructa religio est, inopia.* Rem igitur Deo commendavit, atque in utramque partem cogitando versavit, ut ad normam securæ electionis dirigi posset. Quare quæsito sufficienti tempore ac re per otium pensitata, tandem statuit, veluti vitæ metam, religionem amplecti. Nec diu moratus propositum, multas Deo gratias habuit, a quo in isto secessu maiora acceperit bona, quam unquam sibi fingere potuisset.

EXEMPLUM SEPTIMUM.

De familiaritate cum Deo.

Quidam exemplo multorum in hoc diario ludo proficientium permotus eumdem iniit, et cum suo magistro agens de intima cum Deo inter orandum familiaritate, commemoravit quæ sibi superioribus annis contigissent (quæ doctrina erit eis, quibus singulares divinitus favores contigerunt, accommodata) videlicet a quodam religioso suasum esse, ut quot noctibus ad precandum surgeret, ac sine libro certaque precandi formula cum Deo ageret familiariter non secus, atque si oculis præsentem cerneret; paruisse consilio, brevique ad orandi facultatem supra naturam pervenisse, unde singulis noctibus singularia gratiarum dona recepisse adeo, ut multo post tempore malus genius (alieno nimirum invidens bono) tentaverit eum iudicio temerario : itaque quo tempore alte fuerat contemplatione provectus, cogitatio iniecta est eiusmodi verba subiiciens, *Vide sis quantum orationis donum, quamque alto positum gradu sis consecutus homo laicus, et ille sacerdos hac gratia careat, neque de nocte surgat faciatve quæ tu facis.* Huic cogitationi miser cum locum consentiendo dedisset, dono illo contemplationis esse orbatum, neque id unquam potuisse recuperare. Hisce narratis Pater spiritualis suggessit rationes iudicii temeritati occurrendi, et ordinario modo precibus vacandi, quo pacto is denuo ad familiaritatem Dei admissus est, in eaque cum magna demissione perseveravit.

EXEMPLUM OCTAVUM.

De Beata Virgine per visum obiecta, deque dono castitatis militi, qui præcepto consulendi confessarii paruerat, impertito.

Miles hunc solitudinis diem magno suo traduxerat emolumento, cum magister ei serio commendavit uti sibi caveret a vitio carnis inter milites tam vulgato, ideoque suasit ut certo apud se statueret invigilare custodiæ sui, ita ut quinque tentationes totidem victoriis elideret, quibus reportatis referret ad confessarium, et novo proposito sese in posterum tempus obarmaret. Hasce duas res cum cura observavit miles : ita quidem, ut pretium operæ a Beatissima Virgine, servandæ castitatis ergo, et ab angelo custode ob consulendi diligentiam retulerit. Cum enim sollicite cogitaret, anxieque quinas illas victorias quæritaret, laqueum ei diabolus tetendit, fœminam videlicet, quæ impuris eius amoribus capta athletam ad facinus sollicitaret. Quare memor ille propositi e cubiculo se proripuit, Josephum illum æmulatus, et, *Hæc prima,* inquiens, *offertur mihi victoria,* mox ad confessarium se retulit indicandi gratia. Nocte quadam inter quietem et vigiliam semisopitus audiebat vocem talia monentem, *Si tu vidisses pulchritudinem Beatæ Virginis, nunquam posthac libêret ullam fœminam intueri :* et cum dicto videndam se obtulit domina quædam summæ pulchritudinis : qua in auras digressa gemino ditatus est dono, pietatis adversus Matrem Dei, et castitatis; quibus in bonis ad extremum usque spiritum perseveravit. Alia nocte idem videre sibi visus est hominem cum libra, cuius in altera lance grandia saxa visebantur, in altera,

nigra charta, quæ pondere suo illam saxorum molem facile superabat. Hanc libripens ille militi legendam dedit : in qua miles recognovit oblita sua mortifera peccata, neque unquam confessione detecta, tam perspicue ut de iis postridie, quemadmodum legerat, apud sacerdotem confiteretur, nec alia ratione potis in memoriam eorum redire.

EXEMPLUM NONUM.

De B. Ignatio Societatis Iesu auctore, qui per speciem oblatus quempiam ad pœnitentiam peccatorum lacrimasque perduxit.

Unus quidam sinistro vulgi rumore iudicioque persuasus, mirum quantum a religiosis e Societate Iesu abhorrebat : motus tamen exemplo nonnullorum familiarum in hæc ascetica secessit, cum primam inter meditationem ei se videndum obiecit sanctus Pater eo splendore et evidentia, ut inde post iudicare posset quænam imagines eum verius repræsentarent. Hic beatus ille iudicii temerarii vitium ei obiecit tenero quodam plenoque suavitatis ac pietatis affectu : unde is ad contritionem suorumque pœnitudinem peccatorum est permotus. Atque ut istam expiaret temeritatem, et iudicium de Societate corrigeret, ipsemet eandem est ingressus religionem, in qua cum summa animi sui quiete gaudioque perseveravit.

EXEMPLUM DECIMUM.

Gratiæ præstitæ cuidam, qui ab imagine eiusdem beati pulverem absterserat.

Sacerdos hoc secessu inclusus ex privato examine, ceteraque pietatis observantia præscriptæ fructum retu-

lerat ingentem, quamdiu perseverabat. Interea pristinum illum fervorem intepescere sivit quoad aliam nactus occasionem male texta retexuit, aliisque bonis priora cumulavit. Namque incidit forte in imaginem quampiam B. Ignatii humi iacentem, pulvere perspersam, quo excusso, laciniaque absterso, *Tametsi,* inquit, *perexiguum sit hoc officium, fieri poterit ut sancti huius ope aliquid mihi contingat boni.* Proxime sequente nocte ad quietem composito impetus pietatis ingruit tam vehemens, ut sopore excusso peccata sua deflere cœperit insolenti mentis motu ac dolore : unde votum is fecit amplectendæ Societatis, tametsi antehac alienissimus, nec satis gnarus unde hæc sibi tam repentina pietas mutatioque exstitisset. Itaque postridie accessit confessarium, ad pristinum se recepit exercitium privati examinis, intermissæque pietatis, egregio fructu, properus voti quamprimum exsequendi.

EXEMPLUM UNDECIMUM.

Continentiæ e secura matrimonii electione, et incontinentiæ e sinistro sacerdotii ambitu profectæ.

Litterarum studiosus quodam secessus die cum naturæ suæ vires super statu amplectendo examinasset, familiarium importunitate decreverat sacerdotio initiari studiis eum in finem directis; et qui id consuasissent, nihil quærebant aliud quam ex gradu ecclesiastici beneficii crescere. Homini vocatio nulla erat, neque divinus afflatus, neque continentiæ donum statui opportunum : obstabat vicissim fidem feminæ obstrinxisse coniugalem. Multo labore constitit animum in alterutram partem inclinare : decrevit tandem opportuna : et quoad in coniugii proposito permansit, Deo usus est secundo,

facileque coluit continentiam. Verum necessariorum precibus adactus, mutato consilio, sacerdotium statuit amplecti : unde donum continentiæ perdidit. Singulari ratione Deus videtur istum per hanc ambiguitatem monuisse, cum identidem in diversum distraheretur, et maritalia decernens facilitatem continentiæ sentiret, sacerdotium cogitans reciprocis pulsaretur tentationibus. Denique ut modus pugnæ statueretur, stare magistri iudicio decrevit, fidemque coniugio datam præstare, satius ducens inter vincta coniugalia cum tenui fortuna cælo recipi, quam copiosum sacerdotem ad inferos detrudi. Quod amplexus consilium animo pacem invenit.

EXEMPLUM DUODECIMUM.

De Calviniano qui in hac inclusione copia gratiarum fuerat inundatus.

Hic homo ex ignorantia Calvinum professus, interea temporis legi naturæ operam dabat servandæ, quod argumentum gratiæ fuit impertiendæ. A suis profectus, Dei cognoscendi studio inter catholicos versatus, aliquamdiu fuerat sibi adhuc relictus donec salutarem secessionis diem est adeptus, qui dies inciderat in pervigilium natæ Virginis, cuius e manibus copiosas insignesque gratias acceperat, quas commemorare longum est. Alius atque alius ei favor impartiebatur, velut annulorum in catena connexione prima gratia fuerat dolor peccatorum, dein solatia, tum lux oculis obiecta ea cum dulcedine coniuncta, quam verbis consequi nequibat. Hoc solum dicebat, hominem quantumvis flagitiosum, si illa degustaret, millies mortem oppetiturum ut iis potiretur. Integri anni decursu a die quo

secesserat, deliciis illis inter orandum demulcebatur adeo ut senas omnino horas genibus solo affixis traducere solitaret, magnamque partem a sensibus abductus alienaretur. Die ante, quam sacræ quieti se includeret, nihil eorum quæ magister in schola dictaverat intelligebat : postridie vero clare cuncta cernebat. Precanti ardentia subibant desideria patriam repetendi, ad eos, qui fraude hæreticorum decepti fuerant, veritati lucrandos, immo etiam ad vitam martyrio ponendam. Certe pridie Calendas Martias anni MDCIX, effigies beatæ Virginis (quippe cultor eius singularis, cuiusque ductu et auspiciis pleraque factitabat) eum est allocuta, spemque fecit optatis potiundi. Quidquid negligentius egisse, aut quamvis levem culpam admisisse sibi videretur (nam procul eo graviora) gravi acerboque dolore cruciabatur, ut ei cor instar plumbi gravesceret. Atque is dolor subito ingruebat ita ut pondus culpæ prius, quam culpam persentisceret. Hic autem dolor faciebat ad conscientiam excutiendam. Gratiæ, quas divinitus acceperat tantæ erant tamque frequentatæ ut pater spiritualis eis annotandis fatigaretur. Sed hæc sufficere videntur ad cognoscendum, quantum misericordiæ piis animis Deus impertiat.

EXEMPLUM DECIMUM TERTIUM.

De alio inter hæreticos educato, qui mirifica solatia in hac solitudine percepit.

Eques adolescens eodem solo, quo proxime prior oriundus, clarorum hominum progenies, qui alte Calvini eiusdem doctrinam combibebat, patria excessit sua, qui mores hominum nationesque cognosceret. Hic tum in

Italia versans Jeiunii verni tempore adivit auditum concionatorem magis linguæ quam doctrinæ capiundæ gratia. Quare Numen divinum adolescenti hac ratione suppetias venire dignatum est. Nam post aliquod tempus permotus ad fidem veritati commodandam pactus est cum aliquot suis sodalibus clam Romam proficisci. (Princeps enim suus, cum facultatem abeundi daret, illuc ire vetuerat). Romam ubi venit, familiaritatem cum quodam religioso contraxit. Hic indole adolescentis egregia bonisque propositis perspectis, invitavit eum ad aliquot dierum secessum, qui de vitæ totius delictis commodius recognitis rite confiteretur : ac simul viam ostendit qua id ignaris cæteris præstare posset, cum videlicet diceret velle se quandam Italiæ civitatem lustrare. Itaque summo mane, sociis adhuc soporatis equo conscenso ad locum quieti destinatum est profectus. Primum diem transegit considerando, quod vocamus, fundamento, et pro eleganti iudicio (adiuvante quoque solitudinem attentionemque lumine cælesti) clare vidit decorem finis a Deo nobis propositi, et proportionem adiumentorum, eorumque si recte utaris, decentiam. Quæ res si obiter, animo dissipato, aliisque cogitationibus abstracto, aut citra lumen infusum, cumque hebetudine considerentur, parum efficere solent : sensim vero attente, et cum suo quoque requisito, quemadmodum hoc loci omnia concurrerunt, perpensæ, non possunt non relinquere effectum, quem in hoc homine expresserunt. Namque completus erat admiratione, solatiisque, quæ non minus capiebat intellectus cum veritate illius obiecto naturali, quam sincerum palatum cibos bene conditos, aut visus integer lucem, eorumdem obiecta sensuum. Et vero plura ac maiora contingere, quod inde datur intelligi. Nam spi-

ritualis magister vespere sub cænæ tempus cum eum invisisset, invenit incænatum et impotum, qui causam rogatus respondit, se cibum capere non posse præ copia solatiorum, et subridens adiecit, quando in monitis sibi præscriptis iubeatur dubia, quæ occurrunt, proponere, sese vero re ipsa dubitasse num fortassis in antemeridiano prandio aliquid ingestum fuisset, quam ob rem ita mutatus, extraque se positus videretur. Hic magister, *Experientia,* inquit, *adimet dubitationem : proinde para te ad prœlium : quippe gaudium istud esse videtur antecessus et classicum.* Idque sic evenit. Nam postridie hora decima quarta (aliqua antemeridiana) ad eum meditatione de propriis peccatis perfunctum revisit Pater, invenitque tam afflictum iacentemque quam pridie fuerat solatiis erectus, ac tanto secessus tædio affectum, ut parietes coisse mediumque comprimere viderentur. Quippe tentator ei se adspectabilem obiecerat qui multis obiectis rationibus in hoc cœptum pugnarit. Contra magister ad perseverantiam hortabatur spem faciens, tentationem hanc brevi abituram : et vero evanuit. Post horas enim aliquot pristina revertêre solatia, cumulata tanto in suos affectus dominio, pace, animique serenitate, ut facile coniiceret neque a causis naturalibus, neque ab eodem cibo effecta tam contraria posse proficisci. Substitit eodem loci adhuc tredecim dies, neque, per hoc totum tempus, quidquam vacuæ nactus est horæ, quo vel unicum libri pii fallendo tempori concessi caput legere vacaret. Deliciæ enim illæ paxque totum sibi tempus quod a contemplatione erat reliquum, rapiebant. Qua ex contemplatione tantum luminis adipiscebatur, ut in dubiis, quæ in re theologica occurrebant, veluti de Trinitate, de unitate in Deo, de temporis et æternitatis connexione sive consensu, de prædestinatione

divina cum libertate voluntatis coniuncta, deque cæteris huius generis quæstionibus, solutio respondendo vix attingeretur, quin statim caperet, et dehinc congruenter de rebus dissereret quasi studiis illis excultus, non sine admiratione magistri, cui aliquando dicebat : *Pater, a parvo puero educatus sum inter commoditates quæ vel optari potuissent, affirmo tamen ignorasse me adhuc quæ sit voluptas, nisi dum quattuor hisce parietibus me video circumseptum : et fieri non potest quin, qui experiatur et credat quæ mihi contigerunt, convertatur ad Deum, fiatque catholicus. Ego domo sum profectus urbes orbis christiani celebriores convisendi, deinde Constantinopolim, Hierosolymam aliasque : at vero finem itineribus meis impono, cum quod quæsieram, hoc loci invenerim, neque unquam antehac reperire licuerit, pacem videlicet animique tranquillitatem. Et quando intelligo hanc gratiam a Deo non mihi soli tributam, sed in aliorum quoque gratiam, referam me domum ubi multi vitam inter doctrinæ fallacias agitant eorum, quæ hoc loci experiundo didici, rudes ac ignari.* Terminato secessu, equis iterum instructus sub vesperam remeavit ad suos a quibus ingenti lætitia est receptus : mox cum iisdem ad pristinam habitationem concessit, ubi, qui prius hominem noverant, totum per hosce dies immutatum, ignari causæ, etiam atque etiam sunt admirati. Non multo post in patriam reversus est bona proposita exsecuturus.

EXEMPLUM DECIMUM QUARTUM.

De quodam obstinatissimo, qui prima sui secessus hora consecutus est ingentem dolorem, vitamque emendavit.

Quidam die secessus utiliter obito convenerat patrem spiritualem, atque ad eum de quodam sodalium

suorum retulerat, tam perdito duroque ut neque conciones, neque libri, neque ullæ aliæ rationes, quibus alii commoveri solent, in eo quidquam proficerent. Tum magister nomen hominis, tamquam aliud agens, requisivit. Responsum est, Adamum esse, et : *Adducito,* inquit Pater, *in hunc secessum, et observa quod dico, potest enim fieri, ut sodalis tuus Adamus, ubi sui patris Adami casum animo reputaverit, a Deo gratiam recipiat uberiorem quam exspectaveris.* Ille igitur pertinax passus est includi se : et statim prima meditatione, in qua casus protoplastorum recognoscitur, invasit eum tantus peccatorum dolor, ut a patre visitatus præ ubertate lacrimarum, suspiriis singultibusque diu vocem non invenerit, spatiumque mittendæ voci dandum fuerit. Insignis vitæ mutatio est consecuta optimo notorum exemplo. Vixerat antehac more filii prodigi pravis implicatus consortiis : posthac sollertissimus temporis distributor, honestis duntaxat actionibus impensi.

EXEMPLUM DECIMUM QUINTUM.

De mercatore qui post unum secessus diem singulari orationis dono animique tranquillitate donatus est.

Mercator audita huius solitudinis utilitate, volebat experiri : dumque domum suam rediret, impetus quidam inopinatus affectuum infusorum invasit, animoque eius tam perspicue mysteria vitæ Christi repræsentata sunt ut per ipsum biennium inhæserint, neque ullam in ulla re partem quietis caperet, sive ad mensam, sive ad tabernam, sive in quovis negotio eorum, quæ sine horum cogitatione antehac tractabat. Ac Dominus noster eo vitæ genere animum eius informavit ut per

aliquot annos nullum gravius peccatum committeret : iniecit insuper affectuum vincendorum studium, ac voluntatem a divina tam valide suspensam ut in rebus adversis quibus impetebatur semper animi pacem retineret, cum sine ulla lucta vique facienda illa sancti Iobi verba usurparet : *Dominus dedit, Dominus abstulit : sit nomen Domini benedictum.* (IOB. I.)

CAPUT III.

Aliquot exempla eorum, qui contritionem peccatorum suorum victoriamque passionum in secessu plurium dierum sunt adepti.

EXEMPLUM XVI.

De eo, qui remedium frigidarum vitæ actionum invenit, et quæ mala soleant eas comitare.

Frigidus quispiam multis mundi negotiis intricatus, et magnis animæ damnis expositus, cum sese nudum ab armis pietatis cerneret, secessit remedio quærendo. Toto primo triduo frigus illud animo insederat, tametsi pro virili sua studium adhibuerit dictata exsequendi. Interim omni se carere sensu pietatis adeo cruciabatur ut cogitatio subierit deserendi exercitii. Verum animabatur a magistro uti modum temporis, de quo initio convenerat, perseveraret implere. Itaque continuavit in diem quartum : quo die cum sederet solus otiosi instar, neque quidquam animo versaret agitaretve, derepente tanto peccatorum suorum dolore superfusus est, ut præ vehementia e conclavi cum clamore prodiret : unde ianitor auditis suspiriis ac singultibus principio graviter perturbatus, illo in cubiculum redeunte, moderatorem arcessit, qui hominem humi iacentem reperit uberrimo fletu solum perfundentem, gravissimoque doloris sensu perculsum. Grabato impositus, aliquanto post

facultate loquendi reddita dixit magistro suo, ardorem pietatis antea quæsitum, repente tamque valide se invasisse, ut tolerando par non sit, quare Dominum nostrum orandum esse, ut hunc affectus impetum temperet. Negat necessum esse Pater, quando affectus divinitus immissi haud sunt durabiles et hoc est illud breve tempus de quo conqueruntur sancti cum dicunt, *Felix hora, sed brevis mora : dumque lux durat sensum afficere solita, bonum esset* (inquit) *cogitare de vita emendanda, ut tempore tentationis ac frigoris suppleat memoria propositorum.* Itaque sic ille fecit; nam vehemens ille affectus ad dimidium horæ permansit, postea paulatim remisit. Et exercitans quidem non tam dolorem quam timorem divinitus incussum est admiratus, qui tam intentus fuerat ut totum corpus in grabato iacentis concusserit. Hasce gratias et favores consecuta est egregia morum mutatio quæ tam illi quam notoribus fuit solatio.

MONITUM.

Rogabunt nonnulli, qua ex causa quidam tanta commoda unico secessus die reportent, ut e superioribus est cognitum exemplis, aliis contra pluribus diebus sit opus ?

Huic quæstioni respondet S. Paulus : *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* (Rom. v.) Et si exempla narrata cum sequentibus, et quod quisque sensit in sese, conferantur, poterit iudicari de mensura temporis conveniente. Quare, generatim loquendo, Spiritus Sanctus secundum animorum ingenium operatur, more aliorum agentium : proinde eadem medicina citius aut tardius respondebit, et prout corpus affectum est plus aut minus salutis afferet.

EXEMPLUM XVII.

De eo qui ab importunis cogitationibus est liberatus confessione generali, semper deinceps animo usus pacato atque tranquillo.

Quidam confessioni de tota vita instituendæ se includendum dederat, quem assiduæ distractiones et monstra imaginum male habebant, nec litteris ullive alteri rei vacare permittebant, omnino existimantem omnes homines iisdem infestari turbelis, ideoque neque remedia circumspicientem, neque conquirentem. Itaque peracta homologesi in exercitiis porro pergens, videnque consuetas vanuisse phantasias, vicissim animum esse pacatum ac liberum omniumque actionum compotem, ita ut quod liberet sine turbatione faceret, legeret, studeret, oraret quiete, se ipse admiratus rem omnem enarravit magistro. Hic eum hortari et animare institit, gratesque agere Deo iussit, cum alia quoque exempla commemoraret eorum, qui obita rite in secessu confessione generali variis a Deo sint gratiis donati, pars corporibus a vario malo liberatis, pars contra scrupulos, et importunas cogitationes armati, quemadmodum ipse, et alii aliis molestiis ac vexationibus suo remedio exempti. Atque hic velim observes, differre inter se confessionem quiete attenteque, ut hoc loci, factam, et eam, quæ inter occupationes suscipitur. Namque soli Deo suoque magistro vacans cum tempus habeat sufficiens, et rationes cognoscendi peccati, et commentationes idoneas fœditati eius aperiendæ, quamque nefarium sit apud Deum proditionis genus quodcunque mortiferum peccatum, est bene comparatus ad iustum

dolorem adipiscendum, et inde ad mirabiles sacramenti sanguinisque Christi qui illic impertitur, fructus percipiendos. Hinc qui caret hisce auxiliis tametsi totius vitæ actiones confitendo relegat, haud facile virtutem huius sacramenti experietur. Enimvero prior similis est reo criminum ante iudicem constituto, ubi ex una parte testes assistunt, patrata illius facinora comprobantes; ex altera parte exactor seu fisco præfectus, gravitatem eorumdem ostendens ac veluti trutina examinans. Hic fieri non potest, ut reus, si quidem homo est, non cohorreat, seque peccavisse doleat. Sic alter ille confessionem immeditate faciens, aut meditationem sine confessione, aut utrumque in media negotiorum turba perficiens, similis est reo, in quem testes in iudicio adsunt sine exactore, aut exactor adest sine testibus, aut etiam utrumque, in loco tumultibus personante, vocesque loquentium intercipiente. Iam si ex causæ cognitione, et pudore, ac dolore delictorum consequeretur (ut in nostro exemplo) absolutio aut condemnatio, sine dubio iudicium dari nollet in se præceps et perfunctorium.

EXEMPLUM XVIII.

De remedio efficaci iracundiæ.

Sacerdos iracundus, quidquid criminum meminisset confessione deterso, cum vitæ rectius instituendæ rationes agitaret adhibito examine privato, remedium suæ ad iram propensioni præter alia opportunum sibi visus est invenisse, cum ipsi tum aliis eo usis perutile, videlicet considerare hoc vitium niti falsa persuasione æquitatis et iustitiæ : unde fraude detecta, morbum ea nixum vires perdere. Hæc veritas ut intelligatur cogi-

tandum est, in omni impetu iracundiæ quempiam sibi persuadere, cupiditatem ulciscendi esse iustam. Cupiditas ista trahit secum tria vanæ persuasionis genera ita inter se apta et cohærentia, ut quovis eorum expugnato (quamvis duo adhuc genera superessent), ira sedetur. Persuasiones hæ sunt. Omnis biliosus seu cholericus morbo suo correptus præ se fert occurrendum esse malo imminenti asperitate castigandi : atque ita sibi persuadet primo adhibendam esse sævitiam, deinde iam nunc tempus idoneum, denique se unicum esse instrumentum propulsandi. Hæc apud se si quis capita reputet, comperiet quolibet horum eliso amputatoque fore ut vindictæ cupiditas elanguescat. Hoc remedium efficax est contra tentationem humanam quæ oritur ex ingenio bilioso, et repentino ultionis desiderio : quia quod sanguine licet defervescente adhuc durat, ex odio nascitur : proinde valentiore opus est ei pharmaco, cum sit motus a malo genio, qui hominem illum obsederit, concinnatus; præcipue vero pelli debet virtute sacramenti, quo et mutari et molliri possunt pectora adiuvante divina gratia, qua movemur ad pauca condonanda, videntes multa nobis remitti.

EXEMPLUM XIX.

De religioso, qui cum in exercitiis valde aridus esset, invenit tamen devotionem quæsitam, et formam modumque eius conservandæ.

In quadam provincia, ubi secessus iste certatim ab ecclesiasticis ac religiosis frequentabatur, religiosus quidam, vir gravis et contionator e familia S. Benedicti, sentiebat in eo multum ariditatis, neque ullam devotionis delectationem aliquot diebus capiebat. Magis-

ter spiritualis inops remedii, rem Deo commendavit, et more medicorum prudentium ac demissorum consuluit super hac re alios viros litteris ac spiritu excultos. Inventum suasumque remedium religiosus cum probasset, ab uno ad alterum extremum deductus est, ita ut, qui huc usque nullam poterat ratiocinationem, utilemve inter meditandum cogitationem extorquere, iam luce devotionis perfusus, quod perseverantiæ et humilitatis præmium tribuebat Dominus, tantam sit nactus copiam, ut opus esset eam intercidere : et addebat, si ea, quæ affluebant contemplanti, dilatare vellet, haud aliis ad contionandum libris indigeret. Itaque egregio cum progressu solatioque exinde discessit, ac devotionem illic acquisitam aliis fructuosam conservavit.

EXEMPLUM XX.

De eo qui sex hebdomadas singulari cum utilitate transegit in exercitiis.

Laicus cum ex fama fructuque a multis percepto huius palæstræ spiritualis præstantiam cognosset, vehementer optavit in ea integre temporeque complendo versari, ut videlicet securus esset ab se nihil impedimenti intercessisse, quo minus commodis, quæ quæritabat potiretur. Cumque intellexisset auctorem illius esse Dominum nostrum qui beato patri Ignatio dictata illa dedisset, quæsivit quantum temporis ad exercitia plene perficienda constitutum esset, responsoque quattuor hebdomadas requiri, statuit id omnino tempus explere, et quidquid eo pertineret, examussim servare. Fecit ita, tantumque gratiæ ac beneficii qua animam obtinuit, ut mense completo moderator nec verbis, nec precibus, nec rationibus ei exitum posset persuadere :

quare coactus fuit eum per unam hebdomadem relinquere : qua finita illoque ferventius adhuc alteram hebdomadem urgente, obsecundavit : donec sex omnino septimanis decursis ille facessivit veluti in exilium a paradiso eiectus. Vitiosa is erat valetudine pluribusque malis corrupta, nihilo minus tamen certus quam primum ingredi religionem, moderatore autem hanc voluntatem haud approbante, Romam profectus est potiundi voluntate. Cum eodem tamen responso, mansit denique laicus corpore et exemplis valens.

EXEMPLUM XXI.

De eo qui præter ceteros etiam hunc fructum retulit ut rationem disceret pacem cum proximo colendi.

Quidam officio fungens multis litibus ac certaminibus obiecto abdiderat se in hæc exercitia, et quærens remedium, invenit doctrinam quæ in iisdem exercitiis ante fundamentum ponitur; atque ut memoriter meminisse posset, ea doctrina in quattuor particulas divisa est tradita ediscenda. Hæc vero erat. Qui pacate vivere vult res quattuor observato. *Prima est : quod de alio audis, quantumcunque improbandum videatur, in meliorem partem accipere curato. Secunda : si malum tantum est, ut excusari nequeat, quo animo aut intentione sit factum, quærito aut inquiri curato. Tertia : si homine audito culpa deprehenditur, ne ad remedia prius aspera venito, quam leniora et benigniora suggesseris. Ultima : si suavis et temperata ratio non proficit, imitandi sunt medici, qui medicinas valentiores et efficaciores non adhibent prius, quam humores aliis præmissis capaces reddiderint.* Itaque hominem sic constitutum tolerare oportet, tametsi austerior, dum-

modo conveniens sit medicina. Hæc monita exercitans ille memoriæ mandavit, multosque post reditum dies pacate cum omnibus vixit, donec per occasionem officii in contentionem cum altero incidit, et monitorum oblitus, vindicare voluit dicta quædam offensionem paritura. Magister eius hac de re certior factus, hominem arcessivit, et deprehenso indignationem illam non tam causa iusta quam apprehensione niti, quæsivit ex eo ecquid oblitus esset primi capitis, iubentis verba factaque mollius interpretari, quamvis alia viderentur. Tum ille, *Certum,* inquit, *est mihi eum animo malo prolocutum. Esto,* respondit Pater, *at quomodo excidit alterum caput, quo audienda est ipsius, qui lœsit, defensio? At gravitas dicti,* refert ille, *tam aperta fuit, ut nequeat excusari. Et hoc,* inquit Pater, *concedamus : annon autem recordaris tertii præcepti, suavia violentis anteponenda?* Hæsit hic homo, et quid responderet non habens, paullatim tranquillatus est, et perturbatione remota comperit se fuisse deceptum et verba commodius intelligi potuisse : atque sic Deo reconciliatus et adversario est : quæ res solatio exemploque fuit causæ gnaris, dehinc eodem quoque præsidio usis.

EXEMPLUM XXII.

De eo qui ex fundamento exercitiorum mirifice profecit.

Quidam pietati multum deditus post exercitia ferventer peracta rogaverat modum fructus quem percepisset, conservandi. Magister suasit hebdomadariam continuare confessionem, et aliquamdiu fundamentum exercitiorum cogitando regustare : et memoriæ exercitiique iuvandi gratia verbo id repetivit, declarans doctri-

nam istam compendium esse christianæ perfectionis, in quo quis invitetur ad eligendum ex rebus creatis id quod ad finem suum et ad agendum maxime conducere videatur : item duo illa exercitia distributionis et reformationis, de quibus infra, usurpare, ut quodvis tempus bene collocetur, et quodvis opus debito modo obeatur. Hæc in singulas unius mensis horas, quibus quidem per occupationes licebit, animo repeti iussit magister. Consilio paruit. Exacte horas ex præscripto servavit, et in horis modum optimum tenuit studendi : parem curam etiam ceteris diei noctisque negotiis impendit. Atque in hac distributione invenit tantam materiæ, iucundæque occupationis varietatem, ut satis inde oblectationis negotiique caperet sine libris ac sodalibus. Unde mirum in modum profecit, cum tolleret malos habitus, meliores insereret, animique munditiem nanciscerctur. Hasce inter actiones propriæ perfectioni impensas tamque utiles, Deus eum muneravit zelo animarum et desiderio salutis alienæ provehendæ : unde sic affectus meditabatur religionem, ni iusta quædam vincula incitatum inhibuissent. Mox obtulit sese Indicæ profectioni ad fidem amplificandam, et alia heroica opera præstanda, semper tamen a Dei suique moderatoris voluntate suspensus : qui tamen moderator certis de causis morem voluntati non gessit. Tandem dedidit sese, quod eius obligationibus nihil intercedebat, operibus charitatis. Unde effudit se totum in commoda proximi, cum opera, quo tempore quam rectissime perfici possent, et modum singulis operibus idoneum ad normam sibi præscriptam exigeret : quibus in rebus itidem propitio numine ac liberali est usus. Die festo aliove tempore constituto destinaverat certas horas iis, qui carcere attinebantur, ægrotis, ignorantibus,

vita improbis, solatio auxilioque sublevandis : apud quos illustria et exemplo digna opera patravit, ac Dominus noster rationes ei certasque industrias videbatur suggessisse, quibus adiutus facile obtinebat ut bene de proximo mereretur, magno suo lucro, solatioque.

EXEMPLUM XXIII.

De eo, cui plurimum profuit examen generale et particulare.

Accesserat ad exercitia homo proclivis ad inhonestas corporis voluptates, adeo inde perturbatus, ut tunc quidem minime capax esset examinis particularis, quod præcipuum vitii remedium esse debebat. Sic inde digresso commendatus fuit usus quotidianus examinis generalis consiliumque datum, ut propter inconstantiam suam adhiberet remedium efficax ultimo examinis capite comprehensum, videlicet, propositum emendationis, quale esset obligare se ad confitendum eopte die, vel potius toties, si quidem fieri posset, quoties graviter in hoc vitio deliquisset. Fecit quod suasum, et prima hebdomade cavit sibi diligenter vitandis occasionibus. Solitabat enim de nocte ad pravos visere sodales : tunc abstinebat. Verum proxime sequenti visitatus est ab ipsis et ad vomitum rediit : mox tamen facti pœnitens accurrit ad confessarium cum quadam emendationis diffidentia. Animavit pater aitque, quemadmodum priore hebdomade vicisset dæmonium primo assultu vitandi occasiones : ita perseverando posse divina ope adiutum altera hebdomade victoriam de eodem reportare secundo assultu, non dando locum occasionibus, si quando ab aliis quæreretur. Atque ita factum est, namque hisce privatis

monitis, aptisque remediis instructus munitusque illa irritamenta removit a se, et ea hebdomade in altero congressu victor evasit. Verum invidia diaboli eum adorta tertio vicit assultu appetituum illicitorum. Itaque rediit ad confessarium vehementer quidem dolens, sed perseverantiam desperanti propior. Denuo ut ante, erexit eum pater ad similem prioribus victoriam obtinendam, et examen particulare custodiendis sensibus, utilemque occupationem præscripsit. His munimentis tametsi multum tentatus ille se defendit, dumque examen ac propositum confitendi quoties lapsus esset, perseverat, adiunctis præter illa remedia, orationibus et pœnis voluntariis a confessario suggestis, intra paucos dies integram solidamque nactus est victoriam, adeptus quoque perfectam castitatem, eiusque comites alias virtutes et gratias, quas Dominus noster impertiri solet præmium eiusmodi victoriarum. Unde colligitur quanta sit Sacramentorum vis et præsidiorum, quæ Deus in Ecclesia sua contra peccatum habet instructa, si quidem in eorum usu perseveratur. Item nequaquam de ullius conversione esse diffidendum quantumvis enormis vita fuerit : neque emendationem difficilem licet, desperandam videri debere, modo Dominus noster verum eius desiderium impertiat, quando eius gratia in omnia, quæcunque videntur obsistere posse, vim habet.

EXEMPLUM XXIV.

De eo qui principio ad orandum ineptissimus, deinde gratiam orandi singularem est consecutus.

Admotus exercitiis fuerat quidam adeo simplex et ingenio tam rudi, ut difficilimum esset ei meditari,

quippe qui nullam inveniret ratiocinationem, neque colloquium fructuosum. Rogatus a magistro qui fieri posset ut adeo nihil, quo Dominum Deum compellaret, haberet, respondit, se rudem et ignorantem esse ac veluti bestiam scientiæ omnis expertem. Tum pater, *Bene habet*, inquit, *hoc ipsum vice colloquii profari sufficiat, quando nihil aliud se offeret; et fac ita.* Igitur in proxima meditatione cum ad colloquium ventum est, dixit ille, *Mi Domine, ego sum rudis et ignorans velut una bestia, neque quid dicam habeo.* Hoc actu humilitatis, et obedientiæ edito mox tanta dulcedinis abundantia tantaque interiori luce superfusus est, ut post illa commentationibus colloquiisque affluerent cum ingenti animæ suæ solatio.

EXEMPLUM XXV.

De eo, qui secessit cum firmo proposito observandi omnia documenta exercitiorum, ut a vitio carnis liberaretur et destinato potiretur.

Iuvenis erat eleganti forma, nobilitate, opibusque clarus, egregiis naturæ dotibus instructus, et ob hæc dona iustissimas causas habens gratias agendi eumque a quo locupletatus esset, amandi. Verum in tales armare se solet diabolus, et laqueos ponere pravorum sodalium, qui sæpe illis exitium afferunt. Cum igitur miser iste adolescens valde hisce miseriis implicitus esset, bonus angelus, ut pie credere par est, eum ad quemdam de familiaribus adduxit ex quo de exercitiis spiritualibus est factus certior. Subiit ea cupido, ferventerque principio multis exagitatus tentationibus. Quodam die cum calide ardenterque ingressus esset meditationem, subito vehementissima pulsari et quati

cœpit tentatione, cui tamen nullam dederat occasionem : et animadverso dæmonis impetum hunc esse, setoso cinctu, qui tum ad manus erat, sese constrinxit, ac meditationem prosecutus est inter dolores corporis, animi, peccatorum. Quo facto, mox evanuit tentatio, neque post hac rediit umquam, quoad in illa urbe ubi hoc evenerat, habitabat, quod mirum videri debet in eo, qui diu sit illic commoratus inter easdem occasiones pristinæ ruinæ causas. Dominus noster donaverat ei tantum dolorem et peccatorum detestationem primis in meditationibus, ut pœnitentiæ agendæ causa voluerit mox ordinem religiosum inire. Quare magister ei respondit, Dominum nostrum dixisse prius *Serva mandata,* quam diceret, *Vade et vende :* et eiusmodi calidos impetus non semper sufficientes sumptus ad religiosum ædificium struendum suppeditare ; proinde amplius pronuntiandum esse deliberatione aliud in tempus dilata. Primam exercitiorum hebdomadem rectissime exegerat : cumque perventum esset ad status electionem, compererat cum sua et sui magistri approbatione ex multis divinæ vocationis argumentis, statum seu vitæ conditionem sibi maxime convenire matrimonium : ad quod etiam se comparavit. Finito secessu institit vitam emendare præsidio examinis particularis, tollere videlicet pravam consuetudinem fæminas adspiciendi, temere iurandi, similiumque pestium. Itaque paucis diebus vitiorum istorum suique ipsius victoria potitus est, vitam consectatus plenam pietatis et exemplorum.

CAPUT IV.

Alia exempla antiquiora et unde secessus huius efficacitas oriatur.

Exempla hæc recentiora sunt in medium adducta, quia singularia experimenta doctrinamque continent. Quare si clarius videre libet horum exercitiorum fructum ac vires, convertamus oculos ad prima effecta lucis illius supra naturam, fortitudinis, et sanctitatis, quæ inde hausere pietatis christianæ reparatores et fidei columina non solum doctrina, et exemplo, sed ipso quoque sanguine per provincias sparso, hæresibus hodie contaminatas : et alii qui eamdem pietatem per maximas ærumnas in barbaris nationibus extra Europam, nomine Christi nunquam antehac irradiatis, semente Evangelii consevere, culturaque subegerunt. Et hisce confirmandis in exemplum pro cunctis sufficiat unus Franciscus Xaverius in India, unus Petrus Faber in Germania, unus Emundus Campianus in Anglia. Enimvero quod hi eorumque tot socii effecerunt, hisce debetur exercitiis. Hinc enim spiritum hauserunt et vires in rebus gerendis : hinc ortum habet religio Societatis Jesu (cuius illi filii militesque fuerant), extenta iam et passim dilata ab arctico ad antarcticum polum veluti arbor illa magna cui parvulum initio semen fuit. Hæc est Dei magnitudo et vis operum eius admirabilis. Atque hæc exercitia non fuere solum

instrumentum fundandæ, conservandæ augendæque factæ religionis societatis, et eius clarissimorum operum ubique fere gentium editorum, historiis hodieque testantibus, sed etiam eorumdem opera, ubi frequentes sunt, auctæ et multiplicatæ sunt cæteræ religiones hominibus virtute ingenioque excellentibus : et in omnibus iis religiosorum familiis, qui ductu ac disciplina secessus illius sunt usi, vixere animis pacatissimis suaque sorte valde contentis, securi de voluntate divina per electionem explorata. Eædem exercitationes multos iam casuros erexere, præcipue in regionibus hæreseos labe infectis : innumeros reduxere transfugas, catholicis robur contra undas persecutionum indiderunt : doctissimus, prudentissimus et ingeniosissimus quisque plus inde cæteris profecerunt, qua domandis animi motibus, qua progressu in virtutibus, animorum zelo, desiderio dura ferendi pro Christo, intimo amore Dei, summaque sapientia quæ in spirituum cognitione consistit.

Gandiæ dux et prorex inter seculares adhuc agens, et perquam negotiosus in hisce exercitiis ad eam animi pacem ac serenitatem pervenit, ut nullo in negotio negotium facesseretur.

Venerabilis abbas Ludovicus Blosius sanctitatis inde fructum reportavit vel in libris ab eo conscriptis spirantem, semperque de sua familia binos misit Lovanium (ubi et ipse excultus fuit) excolendos atque eumdem orandi modum a Deo sibi in salutari illo secessu communicatum in suo monasterio instituit usurpandum.

Pater Magister Frater Ludovicus Granata, speculum ordinis Prædicatorum, dicere solebat, sese in exercitiis tam illustre doctrinæ spiritualis lumen esse nactum, ut ætas scribendo non sit, quod Deus tunc ad intelligendum contribuerit.

Doctor Torres cathedraticus Complutensis publice pro concione dixit se plus theologiæ triginta exercitiorum diebus, quam triginta annis inter studia scholastica condidicisse.

Magister Mancius e S. Dominici familia lector in eadem Universitate, vir gravissimus dixit, pluris a se fieri theologiam Patris Villanovæ, a quo tunc exercebatur Compluti, quam omnium eiusdem urbis doctorum scientiam.

Idem Doctor Bartholomæus Torres, lector Segonciæ, postea Canariensis Episcopus dicere solebat, in triginta annis, quibus S. Thomam Scotumque versabat, vix occurrisse argumentum quod solvere non posset; verum rationibus Patris Villanovæ in Exercitiis fuisse manibus pedibusque constrictum. Itaque Segoncia multos submittebat doctores et præbendatos, ut vocant, ecclesiæ illius ad exercitia obeunda Compluti ductore eodem patre. Redierunt inde magno cum auctu virtutum ac donorum divinitus concessorum : quos inter fuit Licentiatus Spinola Provisor, postea Cardinalis et Inquisitor maior et Præses Castiliæ, de quo inter alia mirifica facta memorant eum, cum forte consilio regio præsideret, ubi in eum usque diem tot negotia litesque hæserant indissolutæ, curavisse acciendum Notarium, qui in tabulas referret, nullam amplius causam restare expediendam.

Tantum luminis in exercitiis adeptus erat ut longissimas causas brevissime dissolveret.

Pater Franciscus Villanova, cuius facta supra mentio, cum inter externos degeret, sine litteris aut insigniore naturæ dono adeptus est in exercitiis tam copiosum lumen gratiamque divinam, ut sapientia, doctrina, sanctitate clarissimus quisque, eum ubicunque postea

locorum, consuluerit velut oraculum, fontemque sapientiæ : cumque nihil admodum præter moralia quædam didicisset, omnes tamen theologorum doctorumque quæstiones dissolvebat. Pari miraculo fuit Franciscus Strada, qui ab exercitiis B. Ignatio magistro obitis prodierat tanta doctrinæ spiritualis ubertate, fervore, vique dicendi instructus, quantam conciones eius in Italia, dumque Lovanii daret operam philosophiæ, et utilissima dein suscepta commercia testantur.

De B. Xaverio scriptum est, eius verba tanta vi et efficacitate influxisse in animos audientium, ut plurimum roboris atque constantiæ in perferendis ærumnis ad multos annos conceperint.

Alia innumera exempla ac testimonia hominum ex omni ratione qua opera sermonemque clarorum, qui inter has spiritus exercitationes profecèrunt, possem recensere.

Quare si alia exempla deessent, sufficeret illud S. Caroli Borromæi Cardinalis, qui longa itinera lecticæ inclusus hisce factitandis fallere solebat, et est cum duci Mantuano suam bibliothecam dilaudanti diceret se in sæculo libellum circumferre (intelligebat illum exercitiorum) qui plus contineret omnibus illius librariæ codicibus; et rem simili declarabat, fonti propter successionem plus aquæ esse, quam magno flumini : et celebriores illius bibliothecæ scriptores doctrinam suam ex principiis et scaturigine huius libelli derivasse.

Quibus Apostolica sedes examen exercitiorum commisit, præclaris testimoniis approbarunt.

Cardinalis Burgensis affirmat sibi perplacuisse, et animis perutilia fore, ac digna quæ a cunctis catholicis magni fiant et usurpentur.

Episcopus Saluzanus Vicarius Papæ ait omni laude digna esse, et magnum christianitati emolumentum allatura.

F. Ægid. Foscarari, Magister sacri palatii, affirmat exercitia tam sancta non posse non summopere commodare usurpantibus. Et quia (pergit) porro religio christiana diu conservari nequit, ubi nullus est meditationum et spiritualium exercitiorum usus, iudicavit nihil ad hanc rem æque facere quippe e studio sacræ scripturæ, et longo spiritualium rerum usu haustis. Sic censuit et magna cum ratione gravissimus iuxta ac religiosissimus Doctor, cum ista B. Ignatii exercitia videri possint opus theologi consummati, qui succum sacræ scripturæ et sanctorum eliquare et ad methodum practicamque formam voluerit revocare, unde omnes status sive perfectionem professi sive alterius generis, regulas accipere queant recte vivendi. Verum aliter se res habet, et in eo admirabilitas consistit, quod miles illitteratus (nam Ignatius cum ista scriberet nullis nondum erat litteris initiatus) neque ullis præcultus experimentis nisi suæ ipsius conversionis, commentarium istum composuit ac scripsit, unde tanta doctissimis sanctissimisque viris, ut supra demonstravimus admiratio est nata; et indidem qui ea conscripsit, et a quibus ideam sancta religio ipsomet accepit auctore, gloriam ad Deum voluit pertinere, neque fundator audire sustinuit aut haberi.

Denique Vicarius Christi Paulus tertius volens lubensque pridie Kalendas Augusti anno MDXLVIII, auctoritate apostolica laudat et approbat hæc exercitia *velut pietatis plena et sanctitatis, unde christiani plurimum capiant emolumenti, bonique spiritualis : quamobrem hortatur universos cuiuscunque conditionis aut*

sexus ut ea suos in usus convertant faciantque familiaria.

Verum roges quæ sit ratio supra dictorum, et in quo sit horum exercitiorum efficacitas posita, fructusque qui inde decerpitur consistat. Scito igitur præter afflatum superantis naturam Sancti Spiritus, qui est eorum anima et omnis divini solatii fons, conspirant etiam aliæ causæ naturales, quæ coniunctis copiis magnum habent momentum ad pietatem in animo concitandam : quas res qui cognorit non tam mirari desinet, quam multo magis spem concipiet copiosissimi fructus, quo cuivis potiri licebit, si quidem ad fruendum se reddere volet idoneum. Quapropter ad exercitia, ut supra mentionem fecimus, et proportione quadam ad diem secessus quinque res conveniunt, quæ in quolibet opere grandi difficilique requiruntur, et extra hæc vix æqualiter inveniuntur, videlicet locus, tempus, materia, modus, Magister : de quorum quoque, ut intelligere volenti satisfiat, non nihil afferemus. Solitudo loci plurimum adiuvat contemplationem, et cuiusque veritatis intelligentiam, etenim *animus* (philosopho teste) *sedendo et quiescendo fit sapiens.* Et vero est secundum naturam, cum si separatur aut seiungitur in debita proportione potentia ab obiecto suo, id melius capitur. Hinc pictores ubi aliquam pinxere partem, recedunt, ac longius abstant picta considerantes. Huc facit solitudo : quæ in exercitiis, et die secessus requiritur, ut quis domicilio suo relicto in aliud transeat magis solum, quoad eius fieri potest, quia incipientes adiuvat multum novitas, quibus necessaria est solitudo : quæ in gradu quodam altiore collocabitur, ut dicetur. Quattuor solitudinis genera, vitæ spiritualis ergo reperiuntur. Monastica et ordinaria religiosis, urbes et rura inter

homines sine communione colentibus. Eremitica eorum, qui desertis in locis mutua inter se communicatione degunt. Anachoretica eorum, qui soli agunt, sibi quisque sine cætu consortioque, nisi Dei et confessarii : quemadmodum S. Benedictus initio suæ conversionis vivebat. Denique apostolica eorum, qui voluntate affectibus inordinatis liberi, et ab hominibus remoti inter homines utilitatis eorum gratia versantur, ita tamen, ut contemplationem numinis non perdant, neque a rebus adspectabilibus diversi agantur, idque maiori contentione quam si in desertis agitarent : immo etiam ex universis materiam capiant orationis et solitudinis diligentioris. Hæc solitudo est eorum propria, qui mortui sunt mundo, et cum Jesu Christo D. N. resuscitati, quomodo Apostolus optabat omnes esse christianos, cum scripsit Corinthiis in hæc verba : *Qui uxores habent, tamquam non habentes : qui flent, tamquam non flentes : et qui gaudent, tamquam non gaudentes, et qui emunt, tamquam non possidentes : et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Hoc est illud quod in his exercitiis et secessu quæritur, efficiendo ut homines pretio suo res æstimare condiscant, quod haud est difficile divina gratia sublevatis, ut exemplis est supra demonstratum. Quare cum eo non perveniatur nisi ab altero extremo fiat initium, in exercitiis dieque secessus quoad illa durant, instituitur solitudo quædam anachoretica, ab omni consortio humano exclusa. Tempus integrum exercitiorum pro iis qui eis integre vacare, eorumque varios ac mirabiles effectus experiri volent, sunt hebdomades quatuor. Una purgandæ animæ a peccatis et incompositis affectibus, peccatorum radicibus quasi tu eruderes purgesque terram, in qua sit facienda sementis plantæque inse-

rendæ : prius enim spinas inutilesque herbas evellis et explantas. Secunda facit ad eamdem conserendum meditationibus et imitatione heroicarum ac divinarum virtutum quæ in vita Christi resplendent. Tertia excolit perficitque easdem plantas, ut copiosum fructum reddant, patiendo ac moriendo cum Christo Domino in cruce, quia qui non tam viva alit desideria, quam operatur ardua, et difficilia tolerat in gratiam redemtoris, tunc *patientia opus perfectum habet* (Jac. I) et ipse est in statu fructus faciendi, quod proprium est creaturis perfectis, et similis est grano seminato de quo Dominus noster profatus est, *Nisi granum frumenti mortuum fuerit, ipsum solum manet : si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (Joan. XII). Quarta hebdomas pertinet ad fructum ex malis laboribusque præteritis colligendum, et ad gustandas delicias quas Deus communicare solet etiam in hac vita iis, qui pro eius amore mori sciunt et volunt. Tales enim a servitute carnis ad libertatem filiorum Dei transeunt et, ut Apostolus loquitur, participant de gaudio resurrectionis Domini nostri Jesu Christi et quodam modo fiunt impatibiles ac beati, quando cum illo incipiunt hic gloria futura frui, quemadmodum fruebatur idem Apostolus in suis maioribus ærumnis cum diceret, *Gloriamur in tribulationibus* (Rom. V), et alibi, *Repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione nostra* (II Cor. VII). Tantum temporis ad exercitia requiritur : quia tolli debent multi mores et habitus inveterati, et novi inducendi sunt : quod sane momento fieri non potest, sed plus minusve temporis postulat prout pravi habitus radices egerunt : consideranda etiam est morum qualitas et personarum, et quæ introduci debent, virtutum plane ad eum modum

quo pannus aut sericum malo colore tinctum, meliorem nequit combibere si duntaxat immergas mox extrahas e tinctura, tametsi id sæpius repetas, nisi spatium concedas, ut tinctu penitus imbuatur. Nam in omnibus naturæ operibus necesse est ut agens naturale applicetur subiecto, in quo vim suam aliquamdiu exercere possit ad formam contrariam expellendam. Hæc est una de rationibus primariisque causis cur contiones, utiles libri et id genus talia tametsi multis annis continuata, non sufficiant ad morum pravitatem corrigendam, quandoquidem audiuntur ac leguntur tantum transcursu et alienissimarum cogitationum tumultu sine permanendi voluntate. Eamdem ob rem multi tametsi spirituales ac pii ætatem hærent in iisdem imperfectionibus, dum se quidem hebdomade aut mense quoque accusatum eunt, quia nihil adhibent studii temporisve malis moribus expugnandis, sed ad confessarium accedunt velut ad tonsorem : et sicut omnia properanter faciunt, supraque pectinem tondentur, revertuntur mox iidem defectus ex radicibus relictis repullantes, novamque semper materiam resecandi suggerunt. Quapropter sicut in his exercitiis agitur non solum de anima suis sordibus semel expurganda : sed quomodo earum causæ tollantur in perpetuum, pravique habitus corrigantur contrariis introducendis, tum exstirpentur radices omnium, quibus progressus noster queat retardari : hæc, inquam, omnia (ut diximus) non derepente conficiuntur, sed tempus postulant aliis curis vacuum et otiosum, ut ad ea cunctæ animi vires ac facultates conferantur. Hinc secessu est opus ut omnia cum tempore maturaque consideratione fiant. Brevissimum quoad fieri potest, spatium est unius diei in eorum gratiam qui bene

instituere volunt confessionem generalem, neque productioris temporis habent commoditatem. His porrigere manum conamur præparando, et interrogationibus instruendo, ut ipsi prius suopte molimine soli in eo quod agunt versentur, et per diem vacui commode confessione generali struendæ studeant. Adduntur etiam viæ ac modi, quibus in cultura sui et virtute perficienda utantur, ita tamen ut ad confessarium de rebus suis referant, et ex eorum consilio agant. Id vero spectatur ut quamplurimi queant huius divini beneficii fieri compotes, alioquin id tam facile obtineri non posset, si ad multos dies durare deberet ille secessus, et æque parum, propter penuriam Magistrorum tanto numero sufficientium : adde quod plerique suas ædes ad multos dies deserere non possunt, quod possunt ad unum. Jam materia tam exercitiorum quam secessus sunt efficacissimæ meditationes, et demonstrationes veritatis divinæ, naturales et morales, quibus anima ex alto somno excitari potest, et incantamenta dissolvi, quibus diabolus animam tenet ligatam, adiuvante eiusdem naturæ depravatæ improba propensione, et everti falsa mundi axiomata tantum opinione vulgi corroborata, et peccandi consuetudo tolli : quæ sane requirunt valentia medicamenta.

Ex his meditationibus et alta earum consideratione comparatur cognitio vitæ viarum, contritio odiumque peccatorum, desiderium iustitiæ divinæ placandæ, et satisfaciendi pro peccatis per corporis afflictiones, quæ illic in promptu sunt, perque vitæ emendationem : quod pœnitentiæ genus Deo gratius est cunctis aliis : et per eam docetur, qui examen generale et particulare debeat exerceri, traduntur recte vivendi regulæ, quod publice privatimque colendum sit officium, et aliæ

artes, prout necessitas et ingenium cuiusque requirit, quæ omnia ad materiam revocantur. Modus consistit in eo ut præscriptis et instrumentis ordine et prudenter utaris ad victoriam de te perfecte obtinendam, quæ victoria quanto in maiori ac difficiliori conatu cernitur, tanto præclarior omnibus est, secundum ea quæ Spiritus Sanctus in Proverbiis effatus est his verbis, *Melior est patiens viro forti : et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium,* ac tanto magis cum ista urbs pro qua potiunda dimicatur, munita sit præsidiis, et non nunquam legionibus circumvallata, quas aspellere sit operosum : quippe *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum* (Eph. VI), qui modo vi aperta faciunt impressiones, modo cuniculis et strategematis grassantur, quando varias induunt figuras et bona mentiuntur. Exercitia sunt instar obsidionis regiæ, et dies secessus, est veluti dies prælii et oppugnationis, quando simul omnes artes et instrumenta adhibentur prioribus diebus apparata : reliqui vero vitæ dies spectare debent quomodo victoria comparetur, lacera reficiantur, propugnacula parta muniantur, denique dulcissimo victoriæ fructu liceat perfrui.

Ultimo accedit loco Spiritus Sancti vicarius, cuius non humana sed divina virtute parienda est victoria : ea quidem ratione ut prælium contra superbos hostes commissum, fiat semper cum animi demissione, proinde colere eam uterque debet, tam is qui secessit, dum consilio sui magistri gubernatur, quam ipse Magister et multo magis, ut officio suo recte fungatur. Nam cum hoc ei lux impertietur, quam aliis præferat, quæ lux fortasse non fuisset communicanda extra id, quod

præter consueta sit agendum, ut sui ipsius dux et Magister esset quantumcunque sibi doctus, dexter, prudens videretur. Atque hæc consideratio maximi momenti est pro hac aliisque cunctis rebus agendis. Etenim tanta est differentia inter lumen, quo Spiritus Sanctus irradiat humiles, et quod suopte ingenio et lectione librorum accenditur, quanta est solis et candelæ non solum qua discrimen claritatis, sed quia hæc sterilis est, at lumen solis vigorem vitamque rebus infundit, eas fecundat et ad operandum vegetat. Veteres Philosophi cognitionem multarum veritatum fuerant consecuti, quorum aliqui acutissime disputabant de virtutibus, sed quod laudabant, ac docebant, facere detrectabant : si quid autem fecissent, perexiguum erat et imperfectum, multisque permixtum vanitatibus. Itaque totus eorum census erat, humana commentatio. At longe diversa lux est illa, quam in hoc secessu quæritamus, quando illic non tam cognitioni, quam efficaciæ perfecte operandi operam damus. Hæc abscondita est a sapientibus, et revelatur humilibus. Hinc beatus Pater, cui Deus mysterium hoc aperuit, unde is fructus ad animos manaret, constituit, ut usurparetur cum consilio et directione non solum ob periculum errandi, et quia melius fit quidquid communicatur : sed quia qui se humiliat, meretur hanc lucem et gratiam copiosiorem, quam a Domino largiter concedi videmus iis, qui eam ordinario modo ambiunt, et non videmus qualem acquisituri sint, qui aliis modis anquirunt, sua videlicet nixi prudentia et experimentis. Certum est nos habere causam dubitandi de his posterioribus, ex eo, quod fit in sacramento pænitentiæ, ubi confessario potestas alios absolvendi datur : neque is vicissim a sua manu potest accipere absolutionem,

sed submittere sese et subiicere et sua peccata patefacere debet alteri, si veniam a Deo velit impetrare.

Ordinaria dispensandi et agendi ratio in domo Dei est ut magni favores gratiæque non nisi humilibus contingant, et si Deus illa constituit impertiri, disponit rem humiliandi rationibus, ut sic affectæ mentes fiant eorum capaciores. Intellexit hoc institutum Rex David, Dominum sic allocutus, *Bonum est quia humiliasti me, ut discam iustificationes tuas* (Ps. 118). Idem filius Dei suis Apostolis et universis proposuit, *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (Mat. XVIII). Nisi eritis simplices, humiles, et tractabiles instar infantium, non intrabitis in gloriam regni mei, neque in æternam beatorum, neque in hac vita in regnum bonæ conscientiæ quod, ut idem Dominus loquitur, intra nos est : in qua gloria cum ipso regnant humiles in iustitia, pace, et gaudio in Spiritu Sancto.

Ad Dei Nati et Deiparæ Virginis gloriam.



Cum facultate Superiorum.

Imprimatur : Tornaci 19ª Februarii 1910,

V. CANTINEAU,

CAN. CENS. LIB.

Enghien. — Imp. A. Spinet

INDEX (1)

PAGINA

Præfatio moderni editoris ad lectorem 1

Ad Sodales Academicos prolusio 9

Præfatio auctoris ad lectorem 14

CAPUT I. Rationes movendis ad secessum iis qui multum negotiis et occupationibus externis impliciti sunt 20

CAPUT II. Exempla conversionum notabilium nostro tempore factarum, aliarum item gratiarum ac donorum ex diario illo secessu, virtute Sacramenti pœnitentiæ rite suspecti partorum. (Exemplum primum ad XV^m.) 26

CAPUT III. Aliquot exempla eorum, qui contritionem peccatorum suorum victoriamque passionum in secessu plurium dierum sunt adepti. (Exemplum XVI ad Exemplum XXV.) 45

CAPUT IV. Exempla antiquiora et unde secessus hujus efficacitas oriatur 58

A. M. D. G.

(1) Nullus index in priore editione 1622 adscriptus erat, hic vero confectus est pro nova hac nostra editione.

CINQUIÈME SÉRIE [1910]

25. **La pratique des Exercices spirituels dans l'ancienne Mission du Maduré.** L. Besse, S. J. 45 pp. 0.80

26. **Sacra Tempe seu de sacro Exercitiorum secessu Exempla collecta.** P. Manrique. 72 pp. 1.40

27. **Les Annotations de S. Ignace.** P. Wamy, S. J. (Paraîtra en Mai.)

Fascicules en préparation :

L'Anima Christi.
Les retraites fermées à Madagascar.
La Retraite de Quimper et Victoire de Saint-Luc.
Le Miroir de l'âme.
Etc., etc., etc.

Les numéros marqués **épuisés** *ne sont-plus vendus qu'avec la série complète.*

Mode de publication. — Il paraît un fascicule tous les deux mois, de Janvier à Novembre. Les six fascicules comprennent ensemble au moins 320 pages et forment, après deux ans, un beau volume in-8° avec table méthodique.

Conditions d'abonnement. — Pour la **Belgique,** fr. 3.50 par an. S'adresser à la Bibliothèque des Exercices, 3, rue des Augustins, Enghien. Payer en *bon de poste* ou sur présentation d'une *quittance postale.*

Pour la **France,** fr. 3.50 par an. S'adresser à la Librairie P. Lethielleux, 10, rue Cassette, Paris.

Pour les autres pays de l'**Union postale,** 4 fr. par an. S'adresser à la même librairie. Si quelque abonné préfère payer son abonnement par l'intermédiaire de la Bibliothèque des Exercices, il est prié de le *déclarer expressément.*

Les nouveaux abonnements sont reçus à Enghien et à Paris.

On peut s'adresser aussi, tant pour l'abonnement que pour l'achat de numéros séparés, aux bureaux de l'Action populaire, 5, rue des Trois-Raisinets, Reims (Marne).

P. LETHIELLEUX, Éditeur, 10, rue Cassette, PARIS (6e).

Collection des Retraites spirituelles

A côté de la *Collection de la Bibliothèque des Exercices*, la Librairie **P. Lethielleux** entreprend de former, sous la direction du P. H. Watrigant, une collection de livres utiles à la pratique de la retraite, soit en particulier, soit en commun. Tandis que les fascicules périodiques de la « Bibliothèque des Exercices » sont réservés aux études et aux documents de moindre longueur, la *Collection des Retraites spirituelles* renferme des ouvrages de plus grande étendue, rééditions de livres rares ou compositions récentes. Quiconque est appelé à diriger des retraites trouvera dans cette collection un choix d'ouvrages à mettre aux mains des retraitants, ou susceptibles de l'aider en son travail d'organisation comme de prédication.

Il nous a paru convenable d'inaugurer la *Collection des Retraites spirituelles* par une reproduction phototypique de l'édition *princeps* des Exercices, faite à Rome en 1548 sous les yeux de saint Ignace. Ce livre, en quelque sorte introuvable, sera dorénavant à la portée de tous ceux qu'intéresse l'étude de la Vulgate, c'est-à-dire du texte intentionnellement choisi par l'auteur même des Exercices.

Sont également sous presse l'indispensable *commentaire* de Suarez qu'on devait jusqu'ici aller chercher dans la masse des in-folios et qui ne pouvait être *ad manum* comme il le mérite par sa solidité et par son ancienneté, et un *directoire* en français, plus moderne et plus simple, du P. Pierre Cotel, qui permettra une initiation facile aux débutants de la retraite. Si ces travaux sont bien accueillis, la *Collection des Retraites spirituelles* ne cessera pas de s'accroître pour le plus grand profit des âmes et la plus grande gloire de Dieu.

Voici les titres de quelques-uns des livres que nous formons le projet d'éditer ensuite :

Ceccotti (J.-B.), S. J. *Tractatus super libellum Exercitiorum.* (Manuscrit inédit.)

Grou (J.-N.), S. J. *Retraite spirituelle sur les devoirs du chrétien.* (Inédite.)

Grou (J.-N.), S. J. *Retraite sur la connaissance et l'amour de Jésus-Christ.* (Inédite.)

Siniscalchi (Liborio) S. J. *La science du salut.* (Ouvrage traduit pour la première fois en français).

Etc., etc.

ALMA COLLEGE LIBRARY